APOLOGIA APOLOGIAE PRO IOANNE DUNS SCOTO DOCTORE SUBTILI...

Hugo Magnesius

L
314

Hugo Magnesi
Apologia Apol.ae Scoti

L
[illegible]
11
61

APOLOGIA APOLOGIÆ

PRO IOANNE DVNS SCOTO DOCTORE SVBTILI Theologorum principe.

In qua iacta in eum, eiusque vindicem conuitia repelluntur: eius vita, mors, & doctrina, ab iniurijs, & calumnijs vendicantur, pluresque opiniones eius ex inuidia iniuste taxatæ, solide propugnantur. Deinde mirificæ eius laudes, & encomia, Patriæque suæ Hyberniæ prisca, sanctitatis, & doctrinæ gloria, ex doctißimis, grauißimisque scriptoribus fideliter proferuntur, & fuse explicantur. Demum, plura aduersarij asserta, de errore, temeritate, calumnia, & male sana doctrina, conuincuntur.

Per F. HVGONEM MAGNESIVM Hibernum Ordinis Minorum strict. Obseruantiæ.

PARISIIS,
Apud MICHAELEM SONNIVM, viâ Iacobęâ, sub Scuto Basiliensi.

M. DC. XXIII.

Cum permissu Superiorum.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO DOM. GVYDONI BENTIVOGLIO S. Rom. Ecclesiæ Cardinali Amplissimo Domino suo colendissimo.

*A*Pologeticum hunc mihi tractatum in lucem edituro (vir Illustrissime) *non fuit ancipiti consilij libramine diu deliberando, cunctãdum, cuius id auspicijs fieri deberet; nam si per se lucis inops est, vt parũ splendidi parentis proles, ecquis de suo lumine plus luminis ei suppeditare poterit, quam tu, qui prosapiæ splẽdorem, tãto virtutum, sapientiæ, rerumq; egregie gestarum fulgore illustras? quis firmiori illum fulcro suffulcire potis est, quam tu qui non modo sacri purpuratorum patrum Senatus es lumen, sed & columen firmißimum? imo & totius Ecclesiæ sacratiorum curarum pondus, debilibus robur, firmitatem dubiis, modum exceßibus, defectibus supplemẽtum, omnibus,*

quam exigunt opem conferendo, strenuissime portas? Horum sollicitudinum, & laborum, vt cætera non leuiora taceam argumenta, testes sunt longinquæ illæ tuæ legationes, altera apud Regem Christianissimum, altera apud Serenissimos Belgij Principes, Albertum, & Isabellam; in quarum vtraque tot tuæ sapientiæ, & prudentiæ celebrantur encomia, quot interea rei Catholicæ incidebant difficultates & discrimina, totque meritorum reportas manipulos, quot pauperes angustias, & potentes patiebantur aduersitates, tot tui zeli in propaganda fide, precones, quot ex Francia, & Belgio ad vineam Domini excolendam in vicinis regnis hæresi infectis, destinati operarij. Verum ne laudare *videar* virum in

a Ecclef. 11 specie sua,[a] neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis[b] *hæc me trā-*

b Thessal. 2 *silientem altiori digna cothurno, aliud huc impulit; tua; nempe Illustriss. ac Reuerend. Dominationis in Seraphicum nostrum ordinem, gentem Hybernicam, conuentumque nostratum Louaniensem, atque in ipsum P. Cauellum S. Theologiæ lectorem emeritum, atque ordinis nostri Definitorem generalem (quem simul cum D. subtili defendendum suscipio) Specialis beneuolentia, & beneficentia; quæ hanc gratitudinis, & affectus nostri tesse-*

ram, & quasi syngraphum quandam sibi merito vendicarunt, quandoquidem oportet regratiari, vel famulari ei, qui gratiam fecit.[c] *Exile fateor pro tua amplitudine, tantisque beneficijs, si rem spectes, offerimus munusculum; verum & amoris, & gratitudinis propensione permagnum, prout patitur pusillitas nostra*: retibutio enim possibilis, esse debet non condigna [d]; *maxime, quādo par pari referre nequimus. Hoc igitur quale quale officiosi animi specimen, si tam benigne acceperis, quam libenter offertur, beneficijs addes*; inuitabisque ad maiora, qui gratanter suscipis modica.[e] *Accipe igitur (Illustrissime ac Reuerendissime Domine) qua soles benignitate, obsequij tibi multis titulis debiti, gratique animi symbolum: minores, tu omni virtute maximus, suffulci; Hibernos tuos (quod facis) charitatis tuæ feruore refoue, & ad occiduum iacentes, Orientis fulgoris tui radijs illustra; tuorumque tutelam iustam, innocuam, sinceram, & debitam suscipe vt quam scuto circundat veritas, tua muniat authoritas. Iustam voco, quia* suum cuiq; seruat [f] quia neminē lædit [g], *quia patres, Magistros, & Patriam, omni id iure exigente tuetur; innocuam, quia* puro animo omnem iniuriæ illationem abhorret [h] *vim*

c Arist. l. 1. Ethic.

d Arist. l. 8 Ethic.

e Cassian in Psalm.

f Arist. 1. Rhet.

g Plat. de 1.

h Cic. de Offic.

vi repellens, fallaciasque sine felle refellens; *debitam; quia eruit* oppressum de manu calumniantis: *sinceram, quia verborum lenocinijs nudam sese exhibet, vt veritatem decet;* in garrulis namque flumen, verborum & mentis gutta, & optima eloquentia, quæ non ostentat ingenium, sed rem aptissimè ostendit.[k] Vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, *Scoti, & Apologetæ eius, &* neminem consolatorem,[l] *Vidi iurgia olim extincta nouis liuoris commentis acriora denuò excitari: non vltura, sed medicatura veritatis arma arripere decreui.* Qui lapide ictus est (*inquit S. Athanasius*) quærit medicum, ictus autem calumniæ, grauius, quam lapidis feriunt: est enim calumnia claua, & gladius, & iaculum incurabile, vt ait Salomon; sed his veritas mederi potest, quæ vbi negligitur vulnera acerbiora fiunt.[m] *Hanc veritatis amatori amanti animo dicamus, precesque Deo, vt talem Ecclesiæ suæ columnam, ad consolationem fidelium, diu seruet incolumem. Vale.*

Stobæus ser. 36.

k Eras. in simil.

l Eccles. 4.

m Athanas. in Apol.

Illustrissimæ D. V.

Obsequentissimus seruus,

F. HVGO MAGNESIVS.

Approbatio Doctorum.

NOs *infrascripti sacræ Facultatis Parisiensis Doctores vidimus & legimus tractatum cui titulus*, Apologia Apologiæ pro Ioanne Duns Scoto, Doctore subtili, &c. per P. Fr. Hugonem Magnesium, Ordinis Minorum Prouincię Hiberniæ strictioris Obseruantiæ; *in qua nihil comperimus: Fidei aut bonis moribus aduersum, imo famam & doctrinam dicti Doctoris subtilis, iustè & doctè propugnatas, ac Apologiam pro ipso iam editam eiusque operibus præfixam, ac eiusdem etiam authorem solide atq; eruditè defensos; opiniones insuper difficiliores eiusdem Doctoris subtilis quæ ab alijs reprehunduntur iuxta eius mētem explicatas, & aliorum notas fortiter repulsas. Datum Parisiis die 18. mensis Nouemb. anno 1622.*

FR. T. LE BALLOYS. FR. F. CHAPONET.

AD LECTOREM PRÆFATIO.

I. Accipe benigne Lector, ſcriptionis noſtræ cauſam P. Hugo Cauellus ordinis Minorum in Collegio S. Antonij patrum Hibernorum apud Louanienſes, ſacræ Theologiæ Lector emeritus, nuper dedit in lucem opera Scoti Doct. ſubtilis, in Sententiarum libros, quibus præfixit Apologiam pro authore, eiuſque doctrina, in P. Abrahamum Bzouium Dominicanum, qui in ſuis Annalibus vtriuſque famam contra omne ius, & fas, denigrauit. Vix typis mandata eſt Apologia, & ecce patres Dominicani Antuerpienſes, omni diligentia laborant apud Reuerendiſſimum D. Epiſcopum Antuerpienſem, vt aliquid contra eam decernat; qui 24. Octob. 1620. dictum P. Cauellum vocari fecit, partes Patrum Prædicatorum agente P. T. Bocquet ſacræ Theologiæ Doctore, ſuggeſſitque, ſublatis quibuſdam verbis in titulo, & vno vel altero verbo mutato alibi eodem folio, rem facile componi; conſenſit P. Cauellus pacis cauſa, & P. Bocquetius acceptauit, & ſic in pace dimiſit eos Reuerendiſſimus:

Reuerendiſſ. Epiſcop. Antuerpienſis. pro Apologia ſententiam fert.

II. ſed eodem die ſub veſperam, P. Bocquetius immemor pacis initæ, per ſcedulam apud Reuerendiſſimum & Vicariatum, contra Apologiam grauiter conqueſtus eſt, aſſerens alibi à prælo repulſam; cui vt ſatisfieret, mandauit Reuerendiſſimus vt per alium cenſorem nempe eruditiſſimum D. Seſſium exacte dicta Apologia examinaretur: examinauit, & ipſe omnes illas propoſitiones, quas altera pars vt acerbas vel iniurioſas reprobari petijt; quibus factis, matura deli-

beratione tantus vir, ſcientia, & prudentia tam celebris, iuſte iudicauit nihil eſſe mutãdum præter prædicta verba, in quorum mutationem P. Cauellus vltro ſine mandato conſenſit. Cæterùm ne dicant aduerſarii, hæc à me ficta; adiungo exemplar epiſtolæ eiuſdem Reuerendiſſimi Antiſtitis ad Reuerendiſſimum P. F. Andream à Soto Sereniſſimæ Hiſpaniarum Infanti à ſacris Confeſſionibus, & Cõmiſſarium generalẽ ſuper prouincias Belgicas ordinis Minorũ, eius epiſtolæ authographũ penes me habeo. Sic ſe habet.

REVEREND. IN CHRISTO PATER.

D. Hugo Cauellus cum P. T. Bocquet ordinis Prædicatorum mecum egerunt nudiuſtertius, ſuper difficultate illa mota contra Apologiam ſcriptam, & iam typis mandatam per dictum P. Cauellum, & cum ſuggererem facili negotio poſſe omnem acerbitatem tolli ſublatis quibuſdam verbis in titulo eiuſdem Apologiæ, & in eodem folio, vno aut altero verbo mutato; ſatisfactionem dedit prædicto Patri Bocquetio P. Cauellus, acquieſcendo, & permittendo ſua ſponte, pacis cauſa illam mutationem, à me ſolummodo propoſitam, non autem per modum præcepti, impoſitam. Poſtea idem P. Bocquetius per ſchedulam iterum queſtus fuit de hac Apologia, aſſerens contra eam aliquid alibi eſſe factum. Ego vt finis imponi negotio poſſit, audito impreſſore, curaui per alium cenſorem iterum relegi Apologiam, qui retulit poſt- III.

quam iam typis est excusa, & considerata impetitione tam vehementi, contra quam defensio ista instituitur, non videri vlterius aliquid immutandũ, quam quod iam prius propositum fuerat, & eius iudicio acquieuimus: Deum precor, vt Reuerendissimam P.T. diu seruet. Antuerpiæ 26. Octob 1620. Reuerendissimæ P.T. ad omne obsequium paratissimus Ioannes Episcopus Antuerpiensis.

IIII. Huic iustissimæ sententiæ iudicis integerrimi, viri in omni scibili profunde versati, pars altera non acquiescens, adit illustrissimum ac Reuerendissimum D. Archiepiscopum Salernitanum, nunc S. R. E. Cardinalem Sanseuerinum, Nuncium Apostolicum Belgij, nihil non mouens, vt contra dictam Apologiam aliquid statuat; qui tamen eorum pensatis rationibus, & examinatis excessibus Bzouij in Scotum, P. Cauellum vocatum benigne audiuit, & in pace dimisit, rem eo statu relinquens, quo reperit, culpam si qua fuit in Bzouium magis conijciens, qui litem inchoauit; optauit tamen mitiori stylo refutaretur, sed respondit P. Cauellus rudem clauum, non nisi alio rudi debuisse expelli. Dum ergo hic nihil obtinent aduersarij, vt nihil intentatum relinquerent, conqueruntur apud Illustrissimum & Reuerendissimum D. Episcopum Vigiliarum, Apostolicæ sedis ad tractum Rhenanum, Nuncium: Sed frustra, quanquam enim is peculiari deuotione ordinem S. Dominici prosequeretur, tamen iustitiæ zelus, ne quid in iustam Apolo-

Illust. ac Reuerẽd. Nuncius Belgij, nihil in Apologiam statuere voluit.

Illustriss. ac Reuer. Nuncius tractus Rhenani induci non potuit vt cõtra Apol. ageret.

giam ageret, præualuit. Sed neque hic finis. Mittitur Apologia in vrbem, porrigit ipse Bzouius contra eam, libellum supplicem suæ sanctitati, supplicat humillimis precibus, instat, vrget vt prohibeatur; viri tandem importunitate id agēte remittitur examinanda S. Congregationi indicis. Sedent inter alios, pro tribunali, magister sacri Palatij, & secretarius S. Cōgregationis, ambo ordinis Prædicatorum, & (si licet dicere) inimici nostri in hac parte, facti sunt iudices. Miris modis dicta Apologia exponitur, glossatur, extorquetur, si forte dari possit in reprobum sensum. Dum hæc aguntur, vigilantissime cauetur ne quis nostrorum, quidquam intelligat: sed iustus est Dominus, & rectum iudicium eius, quia factus est fortitudo pauperi in tribulatione sua. Illustrissimus & pijssimus Bellarminus S. Congregationis præses æquissimus (cuius memoria in benedictione est, cuius morte grauissimam passa est Ecclesia vniuersa iacturam, & fidei causa afflicti asylum singulare) partem alteram audiri mandat; Apologiam examinandam committit iudicibus *non considerantibus personam pauperis, nec honorantibus vultum potentis*, sed *iuste iudicantibus proximo suo*, quorum censura audita, matura deliberatione habita, impositum est P. Bzouio silentium, quousque expungeret, & expurgaret quæ in Scotum minus vere, minusque sincere scripsit: Apologia vero non diu post in vrbe cum operibus Scoti distrahebatur, partis aduersæ sic cadente causa: Cum igitur quantumuis nullum non mouerit lapidem P. Bzouius, nihilque intentatum reliquerit, conspexisset tamē

V.

Ad supremū tribunal defertur Apologia.

Bellarminus pijssimus laudatur.

Apologiam cum Scoti operibus hinc inde, etiã in vrbe diuulgari, nihilque à se per tot facta, effectũ iri. Nec quicquam ex suis machinis & technis præualere, extremo morbo, extremo hoc medicamine occurrendum duxit, vt nimirum Apologia illa, alia contraria in eam edita, retunderetur: quod fieri cæptum est, vt iam refero.

VI. P. N. Ianssenius ordinis Prædicatorum in religione iuuenis, in Theologia iunior vnius duorum circiter annorum duntaxat; sed in grammaticam quam Lyrensens docuit pueros, suo quidem iudicio bene versatus, libellum scripsit, nimis iniuriosum, & maledictis plenum in præfatum P. Cauellum, in quo, & Scotum, & ordinẽ eius verborum aculeis pungit, & mordet, & iniuriosis dicterijs lacerat. Iudicarunt viri cordati, indignum esse cui respondeatur; quod præter acrem maledicentiam parum solidi contineat: quia tamen author multum in eo gloriatur, & apud rudiores, qui rem non apprehendunt, prauam posset generare opinionem de fama, & existimatione D. subtilis, simul & prædicti patris, visum est breuem responsionem dare per modum prouisionis, in qua sine acerbitate ostendere conabor, quædam eius asserta esse maxime iniuriosa & maledica: quædam minus vera; nonnulla etiam doctrinam non adeo sanam continentia; tantus est in voculis quibusdam, & verborum ornatu, vt phrasi tantummodo, & non indagandæ veritati studuisse videatur; quæ ego quia puerilia sunt, & leuis tantum animi ostentationem indicant, de rerum veritate magis sollicitus, leuiter attingam, nudam sapientiam or-

Iansenius iniurius P. Cauello, Scoto, & toti ordini Minorum.

Iãsenij quædam asserta, iniuriosa, quædam falsa: quædam malesana.

natæ præferens insipientiæ. Cæterum benigne lector quæ dicturus sum, boni consule, & sine personarum acceptione secundum rectum iudica; neque te quidquam offendere debet quod discipulus illatas magistro iniurias conetur repellere. Licet enim parati esse debeamus, pati mala quando expedit, non tenemur tamen semper actu pati quia non semper expedit. *Propter duo* (inquit D.Thomas, 2.2.q.72.art.3.) *maxime repellendæ sunt contumeliæ, primo propter bonum eius, qui contumeliam infert, vt eius audacia reprimatur, & talia de cætero non attentet secundum illud Prouerb. 27. Responde stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur per contumelias nobis illatas, vnde Greg. Homil. 9. in Ezechiel. Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent si possunt detrahentium sibi verba compescere, &c.* Vt primum hic locum habeat, de audacia vindicis Bzouiani tuum esto iudicium; secundum certe locum habere palam est: is enim cui contumeliæ sunt illatæ, dum in eum scriberentur, Guardiani officio fungebatur, ac proinde eius *vita in exemplo imitationis subditis erat posita*, vnde contumeliæ ei illatæ reprimendæ erant, qua ratione neque ipsi superiores famæ læsionẽ valide remittere possunt ex quo fama non tam ipsorum, quam subditorum (quibus sunt dati in imitationis exemplum) vel saltem ijs obligata est. Hoc præter alios tenet communis Thomist. teste Pet. Ledes. 2. P. summæ trac. 8 c. 7. p. 243. quem ideo adduco, quia res nobis est cum Thomistis. P. Cauellus, vel quia Iansenij scriptum

VII.

Propter duo repellendæ contumeliæ.

contumelias in P. Cauellum, debuisse repelli.

indignum responsione iudicauit, vel quia superior desiji esse, non respondit: ego vero aliquid inde nocumenti timens euenturũ magistro meo, hanc in me prouinciam suscepi cui si non satisfecero pro voto, alij vt spero prouectiores calamum arripient. Vale.

EXAMEN

Capitis primi.

Pag. 1

I. BZouista. ***Quidam cuius nomini parcitum volo, nuper tanquam caballus, fræno omni excusso in immoderatam cucurrit scriptionem, qua defensurus Ioannem Duns Scotum à calumnia, vt hinnit, impsiota.***

Quam modeste, & religiose, iuuenis religiose, tractas P. Cauellum in bona æstimatione habitum, varijs officijs in suo ordine laudabiliter functum, sacræ Theologiæ Lectorem emeritum, necnon ordinis sui Diffinitionem Generalem, satis indicat tui libelli infame exordium. Caballum eum vocas & excusso omni fræno hinnientem: grauis iniuria, rationalem creaturam bruto, & quidem in malo comparare, grauior id de viro tali litteris mandare: profecto si is qui dixerit *Fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis:* Nescio qua pœna plectẽdus erit, qui fratrem suum quasi equum ferocem, fræno omni excusso hinnientem appellat: minus malum fatuum esse, quam

Iniuria vocare hominem caballũ aut equum.

brutum, illud cum aliquali ratione cōuenit, hoc omnem rationem tollit. *Nolo dicere*, inquis, *improbum votum, quia videri posset conuitium aliquod mihi excidisse*: Vtrum minus est, virum celebrem dicere equum ferocem, quã eius votum, improbum? improbum vocando, conuitium tibi excidisset, & equum vocando non excidit? profectò excidit, & quidem grauissimum: non legisti magistrum tuum 2.2.qu.72.art.2.& q.73. art.1. cum communi Doctorum, quos citat Sair in sua Claui, l.12. c.4. *Docentem conuitium esse malum proferre de aliquo, ita vt ei id innotescat, cum intentione dehonorandi*: Tu malum dixisti de P. Cauello, dum eum caballum vocasti, & quidem publico scripto, vt ipsi, & omnibus innotesceret (in quo differs à detractore ex eodem d. art. 1.) & intentione dehonorandi: à diffinitione ergo ad diffinitum deducta consequentiâ ostenditur conuitium aliquod tibi excidisse; quod si forte indirectè tantum dehonorationem intendisti, prǽterquam quod hoc inane sit effugium, saltem vel indirectè conuitium tibi excidisse fateberis.

Pag. 3.

Conuitium & contumelia, describuntur.

Contumelia in qua differt à detractione?

II. Sed quia equo ipsum comparasti, inquiram quibusnam equis rectius assimilari debeat: vide si equo regis Schytarum qui Domini sui interfectorem prostrauit? Vide si equo Antiochi, qui sui Domini mortem vlciscens hosti necem intulit? Vide etiam si forte sit Iulij Cæsaris equus, qui humanis pedibus incedebat? Vide denique si equus iste, sit ille, qui visus est in agro Veronensi, anno 1315. Cum humano capite? Vide inquam, si non potius his equis debeat comparari interpres, qui interfectorem Scoti Bzouium prostra-

Plin. l.3.c.42

Ælian. l. 6. c.43.

Plutarch.

Fulg. l.1. de prodig.

Equi mirabiles.

uit, qui ipsi necem intulit omnia mendacia ipsius firmissimis testimonijs eneruando, & penitus destruendo; qui humanis pedibus incedendo, humanum quoque caput se habere non obscure ostendit, dum Bzouium errantem ad veritatis semitam vocauit, & raciocinantem ratione frequenter abuti apertis rationibus probauit: hominem equina forma alijs apparentem, sanctus Macharius in humana cernebat: si Macarius sancta nimirum simplicitate præditus) esses, author Apologiæ humana tibi appareret effigie.

Syl. l. 2. r. 8. de frig.

III. *Tanquam caballus omni fræno excusso.* Non excussit omne frænum P. Cauellus: Bzouianum tantum, falsitatis impatiens excussit, tanquam Bucephalus generosus alienos abijcit: affectu distractos, inuidiæ liuore pulsatos, tanquam peregrinos sessores non agnoscit: ipsum tantum Alexandrum (Scotum intelligo) veritatis amatorem, & limam constantem, fidelem, & alium quemcumque similem rebus vllis à veritate declaranda dimoueri nescium, sibi patitur insidere; huiusmodi ipsius collo frenum inijciat, & veritatis ductum persentiens facilem se, & tractabilem exhibebit: nullum itaque veritatis, aut modestiæ frænum excussit hic noster equus, sed falsitatis, & immodestiæ, quo se constringi non est passus: Frænum illud, Bzouista, quod calumniaris ab ipso abiectum, optarem ori tuo imponeres, vt esset ostium circumstantiæ labijs tuis, ne declinares cor tuum in verba malitiæ ad excusandas excusationes Bzouij in errore, alioquin sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, in chamo & freno maxillæ tuæ constringendæ sunt, ne forte

P. Cauellus Bzouianum frenum & nō modestiæ excussit.

Frenū, quod ait aduersarius excussū P. Cauello, ipsi in ijciendum est, ne ita vage excurrat.

approximent ad te, ne interiora tua prodant, ne cor tuum, & os ad conuitiandum proiectum, enuncient de te quia effrænis, & indomitus sis: desine imposterum tam immoderate talem virũ impetere, & nisi te ipsum equum cupias appellari cum sis homo, desine tam indigne ipsum agnominare.

Non est mihi propositum, Paulo prohibente, reddere malum pro malo, nec conuitia conuitijs rependere, sed potius vincere in bono malum; sat mihi fuerit ostendere conuitia esse quæ dicta sunt, vt lector pro innocentia sententiam ferat: Hoc tamen assero si P. Iansenius aggressus P. Cauellum ad occisionẽ vsque venisset, actionem de damno superioribus occisi, liquido iure in ipsum fuisse competituram, vel in eius superiores, per textum c. si vos. de iniur. & dam. desumptum ex c.21. Exod. ibid. *Si bos cornupeta fuerit ab heri, & nudiustertius, & Dominus non custodierit eum &* (supple occiderit) *reddet bouem pro boue*: & idem est de caballo occiso iudicium. IIII. Rom. 12. *Quæ actio cõpetit quãdo vnum brutum occidit aliud?*

Si bos curru, vel plaustro aliquem obtriuerit, vel assocauerit, vel alio modo damnum dederit, actio de pauperie habet locum l.4. §. siue autem ff. si quadrup. pauper. fec. Hic certe plaustra sunt plena conuitiorum, quibus obruitur author Apologiæ; quia tamen conuitiator, bos non est, sed doli, & culpæ capax; actio non est de pauperie, sed potius legis Aquilæ ex primo cap. Qua tenetur occidens, quadrupedia aliena l. 2. ff. ad leg. Aquil. verum quia de cornutis incidit sermo, hic non abs re diceretur locum esse actioni legis Corneliæ de iniurijs, quæ conuenit pulsa- *Actio de pauperie quando habet locum?* *Actio legis Aquil. & leg. Corneliæ, quãdo competunt?*

to, aut verberato l. 1. ff. de iniurijs: Hæc sufficiant de tuo caballino nõ humano exordio, quod multos cordatos, & modestos à sordidi libri tui lectione deterruit; nunc videamus an nomini pepercisti, vt ipse asseris.

Ead. pag. V.

Cuidam cuius nomini parcitum volo. Itane vero? quid obsecro, significant hæc verba: *Author Apologiæ nuper editæ, & præfixæ operibus Scoti*, & pag. 42. Eum Hibernum vocas, quomodo quæso hæc à P. Cauello, significatione differunt? nullus alius Hibernus nuper præfixit talem Apologiam operibus Scoti: Nonne si quispiam maledica scriberet in authorem animaduersionũ, & scholiorum in Apologiam nuper editam de vita, & morte Ioan. Duns Scoti, tuo nomini parceret? Nonne qui commentatorem Summæ Theologicæ D. Thomæ exprimeret, Cajetani nomen occultaret? Et qui commentatorem Summæ eiusdem contra gentes, impeteret, ignosceret Ferrariensi? Pungendo Tullium parceretur Ciceroni? nugaris Ianseni (vt cum authore Apologiæ loquar) ista tuis pueris, quos nuper docebas persuade.

Falsum est Iansenium pepercisse nomini P. Cauelli.

Ead. pag.

Abrahamum Bzouium scriptorem Historiæ Ecclesiasticæ conuitio, contumelia ordinem sanctum, ipsumque Angelicũ Thomam conatur obruere. In hac vna hypothetica tres falsissimæ Cathegoricæ continentur: author Apologiæ detexit fraudes Bzouij, eumque de mendacijs conuicit, nec aliud conuitium in toto decursu eius Apologiæ est reperire: *Ordinem sanctum, ipsumque Angelicum Thomam conuitio, & contumelia conatum obruere:* Tua est calumnia: percurrat qui volet vtriusque

P. Cauellus non cõuitijs, sed laudibus D. Th. eiusq; ordinem affecit.

libellum, & testabitur neque ab ipso vllum conuitium prolatum; neque à te vel apparenter esse inuentum, vel in ordinem sanctum, vel in Doctorem Angelicum: præuiderat author Apologiæ non defuturos quosdam, qui sic maligne eum traducerent, ac proinde de vtroque & ordine, & sancto doctore, sine iniuria silere potens, bene, & laudabiliter est locutus.

De ordine sic habet c. 7. *Sed aduertere debueras, tam infame obsequium sanctissimi Dominici familiæ futurum ingratum: non eget pro sui honoris cõseruatione, vel existimationis, quæ in vniuersa Ecclesia, siue sanctitatem, siue doctrinam spectes,* legistin' hæc verba Bzouista? *celeberrima, est, confirmatione, tuis conuitijs, & iniurijs, &c.* De sancto vero Doctore sic. c. 1. *D. Thomas, siue vitæ sanctitatem siue doctrinæ profunditatem spectes, est omni laude dignissimus, doctor vere Angelicus, merito magno honore, & veneratione in vniuersa Ecclesia colitur: Quis Catholicorum audeat vel in minimo eius laudibus detrahere? omnes eum veneramur, adoramus, eiusque interuentu Deum nobis propitium speramus.* VI.

Author Apologia laudat ord. prædicatorum.

Quid ad hæc Ianseni? sunt-ne conuitia, an præclaræ laudes sancti ordinis, sanctique Doctoris? qui ita vtrumque laudat, quomodo contumelia obruit? vbi ergo tandem conuitia ista de quibus interpretem arguis? profecto si ad has imposturas non erubescis, omnem abiecisti verecundiam. Bzouium quasi Antonomastice vocas Historiæ Ecclesiasticæ scriptorem, sed Hervvartus condito syllabo errorum eius per vniuersas Europæ Prouincias vnum aliud verbum

Bzouius erratica Historia author, si Hervvarto credimus.

addi debere, *erratica* nimirum Historiæ authorem, firmissime probat; tu tibique similes Hervvarto dabitis adiutores.

VII. Agitat Bzouista, quod asseruit Apologia, Scotum, ex errore Bzouij, fuisse condiscipulum D. Thomæ; conquereris errorem imponi Bzouio. Sed ipsius verba protuli, dicentis: *Scotum discipulum Alexandri Alensis*: Ex quo sequitur condiscipulum fuisse D. Thomæ, contra hoc. *Nescio* (inquis) *vnde irrepserit crassus hic error fuisse S. Thomam discipulum Alensis; fortasse quia id aliquis, vel semel minus considerate scripsit, seu protulit, continuo illud Scotistæ, tanquam indubitatum, & quo nihil verius arripuerunt.*

Immodestia aduersarij, vbique vagatur.

Probat primo quia D. Thomas vno tantum anno ante mortem Alensis Parisijs fuit: Secundo, fuerunt ibi tunc Magistri celebres ordinis Prædicatorum: Tertiò, vita sanctæ Thomæ præfixa eius operibus nihil tale habet, cum tamen magistros D. Thomæ referat: sic breuiter redigo quæ ipse prolixe ponit.

Ad primum, demus gratis vno tantum anno D. Thomam ante mortem Alensis, Parisijs vixisse, inde colligitur potius discipulum eius fuisse, quam oppositum: si quis magistrum aliquem frequentare incipiat, & moriatur anno nondum expleto, diceturne, si in dubium vertatur, fueritne talis discipulus defuncti, vel non, ea ratione non fuisse, quod annum tantum eius obitum in ciuitate præcesserit? nullus ergo discipulus Iansenio Liræ operam dedisse censendus est, qui duos vel tres annos ipsum non audierit: quod si ita est, paucos profecto discipulos numerabit.

Bzouius ait Alensem obijsse anno 1250. (ita habet ad eundem ann. n. 11.) quod si verum est sex annos ante mortem Alensis, Parisios venit; si falsum, quare ipsum non reprehēdis? quare eius errorem non explodis? si in hoc ipsum tueri cupis, teipsum condemnes necesse est, qui contrarium eius quod ipse asseruit, asserere non dubitasti.

VIII.

Ad secundum, pleno ore dixerim, nullum ante ipsum D. Thomam in scholastica Theologica fuisse Alexandro comparandum: & ita eximium discipulum, eximium quoque magistrum quæsiuisse, minime dubium esse debet: cæterum inter eos, quos citas, vel citare poteras ex tuis tunc Parisijs, florentibus, scio celeberrimum fuisse Hugonem postea Cardinalem, quem tamen præcessit Alensis teste tuo Bzouio ad ann. 1250. n. 11. Si ergo vt ais D. Thomas vno tantum anno ante mortem Alensis Parisios venit, non potuit esse discipulus Hugonis, quem Alensis præcessit, nec alius tunc Doctor celebris fuerat quo tantus discipulus, neglecto Alensi vteretur: præterea verisimile est audiuisse celebriores magistros, domesticos, & extraneos, quemadmodum hodie obseruant studiosi regulares Salmanticæ, Compluti, & in alijs celebrioribus academijs, neque enim tunc in aureis illis ordinum, Minorum, & prædicatorum initijs fuit illa inordinata æmulatio, quam, olim extinctam, modo quidam perturbatores renouant,

Hugo postea Cardinalis floruit Parisijs, non fuit præceptor D. Th.

Ad tertium, argumentum ab authoritate negatiua nihil concludit: qui scripsit vitam illam, tui fortè & Bzouiani zeli fuit, qui dedecus puta-

tis quidquam vos debere ordini Minorum: vides-ne modo quam fragilis sit structura tua, qua astruis crassum esse errorem asserentium D. Thomam, Alensem Magistrum coluisse? Quid? crassum asseris errorem, & nullum adducis ad hoc testem, te hoc dixisse sat-ne erit? Sed forte somnias te nobis esse Pythagoram.

IX. Ego testes adducam, quibus crassum tuũ errorẽ conuellam. Author firmamenti trium ord. qui ante 120. annos floruit, 1.p. de vir. Illust. ait non tantum D. Thomam discipulum fuisse Alexandri Alensis, sed etiam multa ex eo maxime in 2.2. pte furatum esse, pro quo citat Gersonem, & Bruliferum. Rodulph. l.3. Histor. Seraph. & addit D. Thom. ab Alensi mutuatum scribendi modum. Marcus Vlyssipon. in Chron. Minorum 2. p. l.1. c.2. Henricus Vuillot in suis Athenis, Franciscus Gonzaga, de origine Seraph. Relig. 1. p. de scriptoribus illustribus, sic scribit: *Alexander Alensis B. Bonauenturæ præceptor, imitatus est eum D. Thomas, eius auditor una cum D. Bonauentura.* Henricus Sedul. in vita S. Bonauent. c. 7. Balduinus Iunius Chron. Moral. sæcul. 14. in *Alensi*. Idem habet Matheus Veglens. in Apologia pro Ioanne Duns Scoto, contra Matenesium n. 31. Sed hi omnes, inquies, Minores sunt, & eodem tecum affectu ducuntur, alij citandi erant, de quibus nulla hac in causa posset oriri suspicio: producã ergo, & ad tuum ruborem viros nulli in hac parte suspicione præoccupati affectus obnoxios: prodeat itaque in primis Ioannes Gerson, 1. p. fi. Epistola de laudibus D. Bonauent. qui facta Alensis mentione, sic de eo

Ostenditur D. Th. fuisse discipulum Alensis.

pergit.

pergit. *Cuius doctrina quantæ sit vbertatis dici satis nequit, de quo fertur respondisse D. Thomas, dum interrogaretur quis esset optimus modus studendi Theologiæ, se exercere in vno doctore præcipue; dum vltra peteretur quis esset talis doctor? respondit, Alexander de Hales. Testor me ita legiße pridem in quodam tractatu de vis. beata contra Ioann. 22. Testantur scripta eiusdem S. Thomæ maximè 2.2. quam intimum sibi fecerit, & familiarem, illum quem laudabat doctorem Alexandrum de Hales.* *D. Thomas, Alensem omnibus doctoribus præfert & ex ipso plurima hausit.*

Quibus verbis non obscure iudicat author D. Thomam Alexandri doctrinam diligenter coluisse, cum ipsum ex eo plurima in 2.2. maxime desumpsisse dicat. habetur magna pars 1.2. & 2.2. teste Bellarmino, in Speculo Bellouacensis, sed & Bellouacensis sumpsit ex Alensi, quem tempore secutus est teste Bzouio. Gordon. in Chr. ad an. 1239. citans Thritem: & Cocc. idem testatur: Hi, Ianseni, minores non sunt, vis plures? Audi ergo Bellarminum de scriptoribus Ecclesiasticis de Alexandro loquentem: *Alexander Alensis sanctorum Bonauenturæ, & Thomæ Aquinatis præceptor.* Audi etiam Posseuinum, in Appar. Sac. *Alexander Alensis alijs de Hales, sanctorum Thomæ, & Bonauenturæ præceptor, ab oppido Alensi in Anglia ordinis Minorum, &c.* Ioannes Pitzeus Decanus Liuerduni de illustribus Angliæ scriptoribus ann. 1245. De Alensi inter alios viros docet: *Qui ex eius schola prodierunt, nominatißima sunt illa duo splendida Ecclesiæ lumina, S. Thomas, & S. Bonauentura.* Si hæc non sufficiunt intento nostro elucidando, alios tibi depromemus, sed timeo ne ex hoc quod iam dicturus sum grauis X.

oriatur confusio faciei tuæ, depromemus inquam. Quem? ipsum Bzouium, quem defendis: Quid habet ipse contra suum defẽsorem? ad an. 1250. n. 11. *Discipulos*, inquit, *habuit* (Alensis) *duos Diuos, Bonauenturam & Thomam*; Hoc vltimum indignabundus audiuisti; non dubito, sufficienter mihi videor probasse quod intendi: sed quia cupis vt *probet id si poßit vindex Scoti* pergo adhuc verũ illud ostendere: si monumentis antiquis credendum est, hoc quod asserimus credibile satis fiet, habetur enim insculptum sepulchro Alensis in Conuentu maiori Parisijs: idem quoque præfert imago quædam eiusdem Doctoris vetustate pœne exesa supra introitum Capituli eiusdem Conuentus, in qua D. Bonauentura, & D. Thomas docentis Magistri verba excipiunt. Absit Ianseni in tanta testium multitudine, tanta probationum varietate, proteruia: si à nobis veritatem discere nolis, vel saltem tuum Bzouium audi, & desine Scotistis improperare, quod *tanquam indubitatum accipiunt quod aliquis vel semel minus considerate protulit*. Agnosce te inconsideratum censorem, qui citatos authores grauissimos testes respueris, nullo ad oppositum teste adducto, in te verius quadrat, quod Scotistis immodeste obiicis, qui illud quod nullus dixit factum asseras: *Nescis vnde irrepserit crassus iste error, &c.* Si error est, cur Bzouium de errore non arguis? Si verum est, cur tam pertinaciter nullo nixus fundamento veritati resistis? vel te errare, vel errantem Bzouium defendere fatearis necesse est.

XI. *Arbitror famam apud illos Scotistas induisse pro*

conatu vt minus à nostro Aquinate in Theologicis minoritæ abirent. O quam solidum arbitrium! quando fuerunt minoritæ in schola D. Thomæ? doce si potes D. Thomam antequam Scotus incœpisset habuisse scholam? abire ab Aquinate, supponit minoritas Aquinatis discipulos extitisse: nonne teipso teste Scotistæ cum Scoto totis viribus contra D. Thomæ doctrinam, suam scholam efferre conantur? quomodo ergo incitamenta quærunt ad continendos minoritas in schola Aquinatis ipsis opposita? O quam solide hæc tuam coniecturam firmant Ianseni! *Futile figmentum reijcitur.*

Ex his colligitur duplici errore deceptum Scoti vindicem qui asserat D. Thomam condiscipulum Scoti, & discipulum Alensis. Et infra: *Fidelis esse non potest, cuius fides ipso statim principio laborat, vt nesciam, qua ratione tot congesta maledicta excusare possit*. Imò ex allatis habetur euidenter errasse vindicem Bzouij, cum illa duo, errores vocet: Non dixit Scoti assertor vt tu ei falso affingis D. Thomam fuisse condiscipulum Scoti, sed secundum errorem Bzouij talem fuisse, quæ longe diuersa sunt, iam conuici ex probatissimis scriptoribus inter quos & vnum Bzouium cum rubore vultus tui retuli, D. Thomam esse discipulum Alēsis, & Bzouius licet falso (vt ostendit vindex Scoti) ait Scotum fuisse eiusdem Alexandri discipulum: ergo iuxta eius errorem condiscipulus Scoti fuit Diuus Thomas: hæc consequentia euidens est nisi tua grammatica euertat principia Logicalia. Cessa conuictus clamare in ipso limine commissos à Patre Cauello duos errores, in veritatibus tam apertis ais eius fidem laborare, Pag. 5. *D. Thomas, ex Bzouio, condiscipulus fuit Scoti: quod tamen falsum, &c.*

vt nescias eius maledicta excusare: vbi sunt maledicta inexcusabilia? Ecce Diuum Thomam discipulum fuisse Alensis? & Scotum eius condiscipulum ex Bzouio? Primum iam demonstratum est, secundum docet Bzouius, si maledictum est, ipsius est: cur ipsi non succenses, aut cur non tibi ipsi, qui maledicti authorem propugnas?

Pag. 6. *Author libelli fatetur ann. 1612. Romæ excusas theses in generalibus comitijs propugnandas quæ singula*

XII. *expressis S. Tho. dogmatibus contrairent. Hoccine est veritati insistere? ita inquiet, cur id Scoto non liceat? dico si patitur, & sine contumelia alium esse totius pene Ecclesiæ sensum.* Itane? contra Ecclesiæ sensum est D. Thomæ contradicere: Scotus ergo, Scotistæ, & minoritæ omnes contra Ecclesiæ pene totius sensum discunt, docent: quanta sit hæc iniuria, quanta contumelia, quam maledica propositio, relinquo lectori iudicandum: Sed vbi quæso Ecclesia docet suum sensum esse D. Thomæ sensum? vbi ait contra suum sensum esse ipsi contradicere? Verecundum est sine lege loqui, tu autem & siue rationis, & authoritatis lege loqueris. Si contra Ecclesiæ sensum est Scotum D. Thomæ contradicere, quare totum ordinem Minorum aliosque passim Scoti doctrinam amplecti permittit? Quare pro Scoti doctrina explicanda sinit primariam Cathedram in vniuersitate Complutensi conseruari? Quare speciales Cathedras in eundem finem Salmanticæ, Conimbricæ erigi permisit? Quare statuta Minorum confirmauit, Scoti doctrinam sequi præcipientia? Quare statuit S. Congregatio vt Scoti opera sine

Calumnia, dicere, contradicentes D. Tho. contra Ecclesiæ sensum facere.

Variæ Cathedræ pro Scoti doctrina, erectæ.

examine Magistri sacri Palatij prælo mãdari possint? An Ecclesia permittit potens non permittere? An approbat, confirmat, instituit quoque contra suum sensum? Vide nunc mi Bzouista, *Num quæ dixisti, sine contumelia dixisti?*

Sed attende parũ quam tibi cõstans sis. pag. 31. & seq. ais ea in quibus Scotus à D. Thoma dissidet esse conclusiones nondũ ab Ecclesia definitas ac proinde in vtramq; partem ventilabiles, ex quo contra Ecclesiæ sensum esse nullatenus possunt, vt tu hic contra te affirmas, hoc possumus quod iure possumus; iure certe non possumus aliquid contra Ecclesiæ sensum ventilare: Dixit Scoti vindex c. 5. Vitæ eius, speciem esse literariȩ tyrannidis velle cogere non subditos ad D. Thomæ doctrinam; & verum dixit, quia tyrannus inuasione est, qui sibi subdere conatur in quos nullum habet ius, à quo tu non multum videris distare, cum asseris contra Ecclesiæ pene totius sensum esse, D. Thomæ contradicere: quis Alẽsem, quis Bonauenturã damnauit, quo minus eos sequamur reiecto D. Thoma? Num ipsi D. Th. inferiores? *Dico ergo si pateris, & sine cõtumelia*, te patenter loqui cõtra Ecclesiæ totius sensum, quæ liberum relinquit sequi quemcumque. Catholicum scriptorem, vbi non contrauenit verbo Dei scripto, vel tradito, Ecclesiæ Decretis, vel communi patrum consensioni: Dico insuper, asserentem alicuius Doctoris placitis ita firmiter adhærendum, vt nefas putet ei contradicere, iniuriosius esse Ecclesiæ, cuius authoritatem pro illo Doctore vsurpat & inuadit.

XIII.

cõtradictio Ianseniȷ.

Annon ipse Cajetanus 2. 2. q. 58. ar. 11. D. Thom. nunc in quo. dam puncto falsum esse, nunc deceptum fuisse expesse fatetur? sed hæc aliò remitto.

contra Ecclesia sẽsum, dicitur non licere contradicere D. Thoma.

XIIII.

Quod affirmat minus vere c. 2. vita Scoti consta-

re vbique de victoria à Scoto, pro immaculata Deiparæ Conceptione dicant omnes, qui nec Thomistæ, nec Scotistæ, sed veritatem amant, an vniuerse pro D. pag. 6. *Thomæ doctrina contra Scotum vsurpari possit.* Nescio quis te furor inuasit Ianseni, vt tam apertæ veritati ausis contrarie: Non doctis tantum, sed indoctis, immo cuiuscumque generis hominibus appertum illud est, omnia regna norunt, totus mundus testatur victoriam pro immaculata Conceptione contra D. Thomam à Scoto reportatam, nemo ignorat, nemo negat (vnius tantum ordinis partem excipio) omnes de hac victoria exultant: Et audes dicere pro D. Thoma reportatam victoriam: Nonne sic potes negare solem lucere in meridie? An forte cum Academicis tenes nullam esse scientiam certam? Si sic, dissolue argumenta, quibus oppositum conuincit, quem impugnas D. subtilis, 1. d 3. q. 4. docens præter principia & conclusiones, etiam propositiones de actibus sensuum, esse per se notas, vt videre, audire, alioquin vt ait Philosophus 4. met. t. 26. *Dubitandum erit an dormiamus dum vigilamus:* Tam patens est victoriam reportatam pro immaculata Conceptione, quam est nos videre, vel audire, vel vigilare quando non dormimus.

Impudentia dicere in quæstione de immaculata concept. victoriam pro D. Th. reportatam.

XV. Ante Bullam Paul. V. datam ann. 1617. 12. Septemb. *Quæ dicitur occasione partis ponentis maculam in virgine, oriri cum magna Dei offensa in populo Christiano magna scandala iurgia, & dissentiones,* pro quorũ remedio stricte præcepit sua sanctitas sub grauissimis pœnis: *Nemo auderet concionibus, lectionibus, conclusionibus, aliisque actibus publicis,*

Bulla Pauli V imponens silentiũ aduersariis, immacul. cõcep.

asserere quod B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali: Omnes ordines regulares vno dempto, omnesque Vniuersitates vna vel altera excepta, omnia Hispaniarum regna, prouinciæ, primariæ ciuitates, omnes Episcopi cum suis Capitulis, voto, & iuramento se adstrinxerunt, ad propugnandam immaculatam Deiparæ Conceptionẽ, quæ omnia videre potuisti apud vindicem Scoti (quem conuicijs, & maledictis laceras) in rosario B. Mariæ posito post vltimam dist. 3. lib. Sent. Scoti, & tamen tam pertinax es vt asseras iudicio omnium veritatem amantium reportatam esse victoriam pro D. Thoma contra Scotum, etiam in quæstione de immaculata Conceptione. Lege dictum Rosarium sæcul. 16. & Historiam Legationis pro immaculata Conceptione, & reperies sequentes vniuersitates firmissime pro immaculata Conceptione, ante dictam bullam stetisse, ita Parisiensis, Coloniensis, Moguntina, Valentina, Vrsaonensis, Salmanticẽsis, Complutensis, Hispalensis, Vallissoletana, Compostella, Osmensis, Siguntina, Neapolitana, quarum præcipuæ statuerunt neminem graduandum nisi præuio iuramento de immaculata Conceptione propugnãda; quid adhæc penna leuis & princeps in verba erroris, & ignorantiæ? Omnibus Regnis, Prouincijs, vniuersitatibus, ordinibus, Prælatis, omnis demum generis hominibus, in hanc piam sententiam vouentibus, & iurantibus scribit *Reportatam pro D. Thoma victoriam* & hoc postquam Bulla Pauli V. emanasset sub grauissimis pœnis id vetans nonne sic negares duo & tria facere quinque? vbi pudor?

Totus orbis, pro immaculata conceptione.

Vniuersitates pene omnes iurata pro immaculata Conceptione stare.

vtinam verecundia tua ante te esset, quia confusio faciei tuæ cooperuit te. Putas-ne te præfatam bullam euasisse? pœnas & censuras in ea contentas effugisse? incurristi profecto Ianseni, incurristi, maledictionis æternæ pœnam, excōmunicationis latæ censuram. Quorsum istud? Nonne asseruisti pro D. Thoma maculam in virgine ponente victoriam reportatam? maculans ergo virginem victor euasit, & liberans victus occubuit; si victor est? illud in quo vicit, approbes necesse est, alioquin eum vicisse non asseris, approbantem autem Paulus excommunicauit, quod hinc sequitur, inferat Inquisitio. Ianseni hæc habes, & quia nemo reclamauit, libellus tuus maledictus impune currit, & legitur.

XVI.

Sub grauissimis penis imponitur silentium, etiam priuatum, aduersariis immacul. concept. per Greg. XV

Hisce proximis diebus 1. Iun. S^mus^. Dominus noster Greg. XV. prædecessorum suorum vestigiis inhærens, ad euitanda scandala præcepit sub grauissimis pœnis: *Ne quis etiam in sermonibus, aut scriptis priuatis audeat asserere quod Beatissima Virgo fuerit Concepta cum peccato originali.* Dicesne adhuc pro D. Thoma contra immaculatam Conceptionem reportatam esse victoriam? Quomodo potest reportari victoria in aliqua quæstione citra definitionem expressam, efficacius, & magnificentius, quam vt alteri parti omnimodum silentium imponeretur, intus, & extra, in publico, & priuato, sub grauissimis pœnis? & tamen si tibi credimus, illa pars vicit; habeas semper in controuersiis tales victorias, quibus triumphabit aduersarius: Simili licentia, & contra cōscientiam, ais pag. 86. Apologiam pro Scoto esse prohibitam per sacram Congregationem in-

dicis, quæ tamen (vt constat) tuo Bzouio silentium imposuit, ne quidquam contra Apologiam fieri peteret, donec prius quæ in Scotum, & ordinem eius in vniuersum, iniuriose, & minus vere scripsit, corrigeret, de quo postea. *calumnia Apologiam fuisse prohibitam.*

Omnes sibi habebant persuasum nihil vltra desiderari in Theologicis, quod non absolutißime, & verissime pertractaßet (D. Thomas) quæ opinio cum omnes imbuißet, fere singulorum, qui Theologiæ operam dabant (excipio paucos, quos semper in transuersum agit malignitas) factum est vt acrius quidam existimarēt de Scoto. Qui sunt isti pauci? certe Scotistas intendis, quos solos existimas [licet falsò] D. Thomæ doctrinæ contradicere, omnes ergo Scotistas te iudice semper agit malignitas, omnes Franciscanos, non adeo paucos quin forte tribus maximis Ecclesiæ ordinibus, adæquentur, semper agit malignitas: tot Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, Cardinales, ex Scotistarum Schola assumptos, semper agit malignitas; imò quatuor Pontifices Scotisticæ doctrinæ sequaces in sede Petri collocatos, agit malignitas; vno verbo omnes qui in Theologicis aliquid desiderant vltra D. Thomæ placita agit malignitas. Iesuitas ego, ordinem certe pijssimum & doctissimum, quos Thomistæ clamant suę scholæ aduersarios, & author orationis nuper habitæ in Conuentu Prædicatorum Bruxellensi in festo S. Thomę [quam quod in Conceptionem, & Patres Societatis nimis excessisset, vltrix flamma sustulit] vocat Antithomistas, agit malignitas: Omnes vniuersitates, omnes ordines, omnis conditionis Theologos, præter Dominicanos,

Pag. ead. XVII. *Maledicentia aduersarij, intollerabilis.*

In omnes Theol. iniurius est Bzouista.

qui ſoli, & non omnes, in omnibus ſequuntur D. Thomam, agit malignitas; adde ipſos puros Thomiſtas, in verba D. Thomæ iuratos, qui aliquid ſcire deſiderant vltra ea quæ *abſolutiſſime, & veriſsime tractauit D. Thomas* Ianſenij quidem iudicio agit malignitas: Si quid noui addiderunt, maligni ſunt; Cajetanus infra citandus ait *Maiores ſequi nihil aliud eſse, quam ingenia noſtra damnare & iudicio nos priuare.* Nonne eum, ſi Bzouiſtæ credimus, maxime agit malignitas.

XVIII. Sed an benigno, an maligno ſpiritu impellente tam atroces iniuriæ in omnes Theologos præter D. Thomæ diſcipulos iuratos, & nihil illi addentes, prolatæ ſint, lector iudicet: iudicet etiam qua cenſura præfata propoſitio digna ſit. Ex ijs, quæ Caſtro l.1. c.3. de Iuſt. Hæret. pun. Cordub. l.1. quæſt.17. §.24. & alij de cenſurandis propoſitionibus tractant, conſtat ad minus maledicam, iniurioſam, & cõtumelioſam eſſe; omnium enim Theologorum præter iuratos Thomiſtas, ſed peculiariter ordinis Minorum, & Scotiſtarum famæ, & honori grauiſſimam notam inurit.

Cẽſura propoſitionis Bzouiſtæ.

Laborat Bzouij vindex vt probet Scotum voluiſſe dicere pugnantiſſima D. Thomæ. Sed fruſtra, quia author Apologiæ id nunquam negauit, ſed cap. 1. Apol. aſſeruit eum tam D. Thomæ quam aliorum doctorum ſententias, quando nõ placebant refutaſſe, ſuppreſſis tamen eorum nominibus, & ita modeſte ac religioſe, vt *Chriſtiano pectore*, verba ſunt Poſſeuini, *hauſiſse à Domino ſapientiam certe integram mentem cenſeri poſsit.*

Scoti modeſtia cum ſũma doctrina, conuincta.

Cajet. ſi hoc vnum liceat vere Scotomaſtix. Eo tantum fine hunc adducis vt in dedecus Scoti

hoc titulo eam condecores. Si ideo Cajetanus tibi vere Scotomaſtix, quia Scotum impugnauit, certe multo verius, Scotus Thomomaſtix; & tamen tu ſtomochaberis, ſi ita vocetur: patere legem quam ipſe tuleris: quocunque ſenſu Cajetanum Scotomaſtigem, aſſeras, non ægreferas eodem, Scotum dici Thomomaſtigem, quia longe ſubtilius, ſolidius, modeſtius, ſecurius, & humilius in D. Thomam diſputauit, quam Cajetanus in ipſum. Nullus tamen Scotiſtarum ob reuerentiam D. Thomæ hoc titulo Scotum honorauit, ſed tua iniurioſa, & immodeſta inuaſio docet ei deberi, vel Caietano auferri. Certe Frāciſcus Lenchetus verius vocandus Cajetanomaſtix, quam Cajetanus Scotomaſtix, quia omnia eius argumenta in Scotum, & argumentorum Scoti ſolutiones ab ipſo datas, impugnauit & refutauit; Cajetanus autem plerumq; Scoti argumenta vel omnia, vel certe præcipua, diſſimulat, & ſilentio pertranſit; ſi mihi non credis confer quæſtiones Scoti, & cōmentaria Cajetani ad inuicem, & facile credes etiamſi pia affectio defuerit. Sed parco tibi quia nec D. Thomam, nec Scotum, nec Cajetanum legiſti, & tamen vindicem Scoti in eis bene verſatum iudicas, & laceras; vnam tamen Cajetani opinionem tibi familiarem feciſſe videris, nempe ex imperio voluntatis ſine vlla ratione aſſenſum præbere, quam Scotus, & merito rei cit. 3. d. 25. q. 2.

pa. 7.

XIX.

Si Cajetan⁹ Scotomaſtix, Scotus Thomomaſtix.

Si breuitas pateretur facile tibi deſcriberem Cajetanum, quem tractas Scotomaſtigem, atque vt omittam alios, Canus ordinis Prædicatorum vir doctiſſimus 2. de loc. c. 11. ad confir.

1.2.q. 65.ar. 4.

XX.

caietani errores. 4. argumenti (peccauit, inquit, Caiet.) *primo eo quod temere, & inconsiderate, ne dicam superbe, & arroganter authorem librorũ Mach. ait in intelligentia Danielis esse deceptum.* Mitis censura contra asserentem decipi verbum Dei, quod est ipsum Deũ fallere vel falli, aut libros Mach. non esse Canonicos contra Trid. sess. 4. decret. de script. Ca-*[..]ani censura de caiet.* non. L. 12. c. 4. ad 1. acriter reprehendit eum quod explicans id, *accedentem ad Deum oportet credere* asserat melius esse scire Deum quam credere in Deum; quia Apostolus loquitur de accessu per fidem infusam; vnde Soto, qui aliquando visus est voluisse hominem sine notitia infusa saluari posse l. 2. de nat. & grat. c. 11. in 2. impressione se correxit vt ibid. ipsemet fatetur. Lib. 7. c. 3. con. 5. *Dici potest Cajetanum summis ædificatoribus Ecclesiæ parem esse potuisse, nisi quibusdam erroribus doctrinam suam quasi cuiusdam lepræ admixtione fœdasset;* & mox *nam, & vetustæ traditionis parum tenax, & in sanctorum lectione parum quoque versatus, libri signati mysteria ab his noluit discere qui non suo sensu illa sed maiorum traditione vera scilicet verbi Dei claue aperuerunt.* Ibidem adducit Caietanum patres, & antiquos contemnentem, ac dicentem *Maiores sequi nihil esse aliud quam ingenia nostra damnare, & iudicio nos priuare,* quam sententiam ait Canus esse Lutheri, Vvicleffi Aabaylardi, & antiquorum hæreticorum, & subiungit. *Hæreticorum itaque & Schismaticorum communis fuisse videtur Cajetani illa sententia.* Item relec. de pœn. part. 5. ait sententiam Caietani, non esse præceptum præmittendi confessionem post mortale, communioni; vt errorem damnatam in Trid. ss.

23. c.7. & Can. 11. idem docent Cast. contra hæres. verb. Eucharist. hæres. 10. Senens. l.6. Bibl. annot. 261. Vasq. 3. p. disp. 207. c.3.

XXI. Ita depingit Caietanum Canus, doctissimus Dominicanus, & Thomista egregius; & tamen sic depictus iudice Bzouista, iuxta præfatam Caiet. opinionem iudicandi aut præbendi assensum sine vlla ratione, præferendus est Scoto: Scotomastix est.

XXII. Scripsit Ambrosius Catharinus Dominicanus etiam integrum volumen sex libros complectens, de erroribus & falsis dogmatibus Caietani quod editum est Parisiis apud Colinæum, & Lugduni apud Bonhomme: In cuius præfatione asserit alios editis libris Caietanum hæresis nota signasse. Fr. Ioannes Fuger Inquisitor Lugdunensis hunc Catharini librum approbauit. & à Parisiensibus etiam approbatum fuisse testatur. Inter alios Caietani permultos errores, notat eos quibus dicit infantulos in vteris maternis esse baptismi capaces, adultos sine ipsorum intensione valide baptizari posse, 3. p. qu. 27. ar. 2. Quod illud: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* non intelligatur de Sacramentali manducatione, 3. p. q. 80. ar. 12. quod cap 20. Ioannis instituta est confessio, non tamen auricularis: quod resolutio de specie & numero peccatorũ conficendis, ipsi non placet: quod id, *infirmatur quis in vobis* non vult intelligi de Sacramento Vnctionis. Quod non solum quoad thorum, sed etiam quoad vinculum dissolui credat Matrimonium superueniente adulterio: quod omnes copulas inter conuinctos sanguine & affinitate, ex

Catharinus de erroribus Caietani.

se & iure naturæ licitas esse dogmatizet, præterquam inter patrem & filiam, ac inter matrem & filium: quæ (inquit Catharinus) ineptè, falsò, & impudicè, ne dicam impie, dicta sunt. Montem pietatis reprobat Caiet simul ac iudicium de eius institutione ad Papam pertinere negat.

XIII. Vt igitur omnia vno verbo absoluam, vix vnũ caput commentariorum Caietani in scripturam inuenire est, quin vel erroris, vel falsi aut impij dogmatis, aut periculosi, aut inconstantis & sibi vel D. Thomę contradicentis doctrinæ, nota à Catharino inuratur; cumque passim appellitat falsum periculosum, insolentem Ecclesiæ vellicatorem, sacram paginam pro sua phantasia sine ratione mutantem, ipsi quandoque contradicentem, tot errores pene quot verba effutientem, non aliter quàm Iulianum Apostatam in quendam errorem incidentem.

XIIII. Non tamen erubescis, mi Bzouiane vindex, Cajetanum sic, à suis etiam confratribus Dominicanis & Thomistis, censuratum, Scoto præferre, & glorioso Scotomastygis titulo, post tot insignes titulos quibus eum sui prædicant, honorare! Dic amabò vbinam in operibus Scoti vel vnum inuenies errorem periculosumve dogma? *Cuius libri* (vt testatur P. Posseuinus in Apparatu) *absque vllo erroris næuo trecentis annis* [quibus nunc addi possunt viginti] *in Oecumenicis Concilijs inuiolati permanserunt.* Sed te iudice, doctrinæ adeo inuiolatæ, præferenda erit doctrina Caietanica, *erroribus quasi lepræ admixtione* (verba sunt Cani) *fædata.* Si Scotomastix est Caietanus vbi eius schola, vbi

Arroganter Cajetan. asseritur Scotomastix.

discipuli? vbi sequaces? vbi cathedræ in quibus eius sustinetur doctrina? in quibus Vniuersitatibus propugnatur? vbi factæ in eius honorem cathedrarum fundationes, & erecta gymnasia? facile est tibi effutire isthæc, & forte tuis puerulis persuadere; sed non sic poteris virorum intelligentium ac in Theologia versatorum oculos, versatus licet, obumbrare. Præcedens propositio tua maledica fuit & contumeliosa; ista autem qua Caietanum Scotomastigem blateras tanto nostro Doctori & tanti ordinis Magistro iniuriosa est, ac proinde iuxta Tridentini indicem abolenda, vt modeste loquar: sedate pro tua solita modestia, contumeliæ ac maledicentiæ me accusandum iri non ambigo, eo quod propositiones tuas tales esse patefacio. Hac enim vel sola ratione, vindicem Scoti calumniatorem proclames, quod mendacia, fraudes, atque calumnias in Scotum à Bzouio scriptas, detexit ac publicauit.

Pergit vindex Bzouij vt probet Scotum pugnantia D. Thomæ [illegible]bere voluisse; quasi author Apologiæ id inficiaretur: *Romæ*, inquit, *Anno 1612. in Comitijs generalibus sui ordinis: theses quarum epigraphe erat, Discordia concors inter S. Thomam, & Scotum, hoc medio impugnauit vindex Scoti: Quicunque Thomam Aquinatem Scoto in sententijs sociare pergit, hæreticus est.* Ead. pag. XXV.

Puerorum more laruas tibi effingis quibuscum pugnes. quis tibi dixit quid P. Cauellus tunc fecerit Romæ in sui ordinis Comitiis? Nōne tu illo anno 1612. Louanij in Falcone Logicæ studere incepisti? si non fallit relator (qui tamen *Figmentum aduersarij de argumētatione P. Cauelli Romæ.*

oculatus est testis, & tunc tuum egit condiscipulum) Logicalia quæ tibi non sapiebant, eo ipso anno deseruisti, & charismata æmulatus meliora, in sacrum Prædicatorum ordinem te recepisti, & anno 1621. Librum hunc contra P. Cauellum veteranum Theologiæ Professorem, scripsisti. Si Nouitiatus annum, tempora quibus pueros Lyræ docuisti, & biennium quod fluxit iam, teipso teste postquam scholæ valedixisti, subtrahas, quantum quæso temporis restat tibi pro cursibus Philosophiæ & Theologiæ perficiendis, quos tamen absoluisse simulas? vix Theologiam à limine salutasti, & tantum Theologum imo Scotum ipsum Theologorum principem, ausus es inuadere, & lacerare, eiusque doctrinam tuo suffragio damnare. Quàm vere tibi quadrat quod P. Sotus Prædic. ordinis vir doctissimus in Apologia cōtra Ambros. Cathar. eiusdem ordinis, scripsit; quod scilicet *simul incœpisti Theologorum scholas frequentare, & in doctissimos Theologos calamum stringere.* At hæc tibi pudorem non suffundunt.

Aduersarius in Theologia Tyro.

Sed redeo ad propositum. Cum Louanij in Collegio Falconensi vel in Nouitiatu non procul inde distanti, moram traxeris præfato anno 1612. Quomodo sine vllo teste affirmas P. Cauellum tunc Romę, tam turpiter argumentatum? Fas-ne scilicet tibi quod lubet astruere, vt talis viri honori detrahas? An potius nefas iuxta veram Theologiam? simul ne Romę & Louanij interesse poteras? vtrobique esse circumscriptiuè, & simul, etiam de potentia Dei absoluta [si tuæ scholę credimus] non poteras; quanquam

tamen

tamen id adeo falſum ſit, vt ſi à me vel ab eo quē propugno, primùm doceretur, grauiter reprehenderemur. Quàm in argumentando dexter ſit P. Cauellus, à multis annis notum eſt in Louanienſi Vniuerſitate, in qua & tu initia Theologiæ deguſtaſti, libellumq; tuum maledictis plenum in eius dedecus, tuũ potius, hinc inde diſtribuiſti; ille autem ibidem à ſexdecim circiter annis Theologiam docebat, & in publicis diſputationibus nunc præſidendo, nunc arguendo, quid in argumentandi arte valeret, ſat luculenter oſtendebat. Inter regulares à centum forte annis non habebantur ibi publicæ diſputationis exercitia (excipio Patres Societatis Ieſu) donec ipſe cum ſuis Patribus Hibernis ea inciperent, quos poſtea tui, cæterique Religioſorum Conuentus imitati fuere. Certe vt modeſtiſſime loquar, durante prædicto tempore, nulli tuorum, tui-ve cœnobij lectorum fuit argumētandi laude & applauſu ſecundus. Teſtes ſunt omnes qui vtroſque audierunt; teſtis communis vox Vniuerſitatis & Theologorũ, qui non ſatis mirantur quod eum tu tibi eiuſcemodi argumentatorem phantaſtice fabricas, qui plura luſtra docendo exantlauit, quàm tu in diſcendo, annos pręteriſti; ideoque maiorem in te modeſtiam & Religionem deſiderant; quibus faxit Deus ſatisfacias expleto Nouitiatu ſecundo poſt abſoluta ſtudia. Excuſandus es tamen in cenſura, quam vltra crepidã proſiliens, de argumētatore inſcius tuliſti; quippe qui Grammaticandi arte plus polles, quàm argumentandi; dum namque logicalibus (quæ in Falcone dereliquiſti) operam nauares, tua Grã-

maticalia ſeruis ruminabas. Quid ni igitur, ſi rei Logicæ ignarus ſis, Theologicæ etiam rei te non ſat gnarum arbitrum admiremur?

XXVI. Inquiſiui tamen curioſius an aliquod eſſet fundamentum ſuper quo tua figmenta extrueres, atque ab his qui diſputationi illi Romanæ attenti aſtiterunt ſic accepi. quidam Theologiæ lector theſibus illis, publice in Comitiis generalibus propugnandis, duo tantum Syntagmata propoſuit; alterum quo aſſeuerabat & D. Thomam omnia bene dixiſſe, & Scotum etiam omnia bene: alterum inter D. Thomam & Scotum nullam contradictionem extitiſſe. Primum ingenioſe & docte ſuſtinuiſſe fertur, vtriuſq; Magiſtri doctrinam ſuis fulcris & fundamentis ſuſtentans. quod etiam factum eſt iuſſu Vniuerſitatis Salmanticenſis in ſua publica Academia, ſequenti Capitulo Generali noſtri ordinis anno 1618. Inibi celebrato; defendēre quodam Theologo ordinis Clericorum Minorum, qui præſide Reuerendo admodum Patre M. Auguſtino Antolines Ordinis Eremitarum S. Auguſtini viro doctiſſimo & piiſſimo ac primariæ Theologorum cathedræ moderatore, mane Thomiſticam, & veſperi Scotiſticam Theologiam propugnabat, arguentibus tantummodo Patribus Minoritis illuc ex toto orbe conuenientibus; in quorum gratiam celeberrima illa Vniniuerſitas nulli quoad ſcholaſtica poſtponenda, ſolemnem illam diſputationem cum aliis tribus inſtituit. Inter hos & Pater Cauellus argumentatus eſt, non tam ſtupidè, quàm tu minus religioſe, ei imponis.

Salmantica Theol. Thomiſtica & Scotiſtica, iuſſu Vniu. eodem die defenſa in gratiam capituli Generalis Minorum.

Porrò secundum præfati lectoris assertum, difficile, imo impossibile prorsus videbatur; contra quod, post alios, sic P. Cauellus argumentari exorsus est. Nulla est inter D. Thomam & Scotũ contradictio; ergo nulla est inter hoc asserentem, & hæreticum. Consequẽtiam negatam, probauit sic: quod D. Thomas asserat B. Virginem primo instanti creationis animæ eius, fuisse infectam originali macula, & Scotus id neget, non facit inter eos, per te, in Theologia contradictionem; ergo quod hæreticus asserat Papam non esse Christi Vicarium sed Antichristum, & tu id omnino neges, non facit inter te & hæreticum, vllam in fide contradictionem; ac per consequens cum hæretico in fide conuenies; aut si negatiue te habueris, non asseres Papam esse Christi Vicarium, nec negabis esse Antichristum. Prima consequentia est clara ab euidenti paritate, nam tanta est contradictio in Theologia inter affirmantem, B. Virginem fuisse maculatam in primo instanti suæ creationis, & id negantem, quanta est oppositio in fide inter affirmantem Papam esse Antichristum, & id negantem; neque hæc est maior aut minor contradictio in re fidei, quam illa in re Theologica; atqui per vos inter asserentem & negantem primum, nulla est contradictio aut oppositio Theologicè, ergo neque inter asserentem & negantem secundum est vlla oppositio aut contradictio in fide, ac proinde erunt vnius fidei. Hoc argumento agitauit P. Cauellus propugnatorem illius asserti, non illo stolido quod tu, vel maleuolo vel hallucinato animo tibi effingis, nesciẽs

Asserẽs nullam esse inter D. Thom. & Scot. contradictionẽ, cogitur asserere nullam esse inter hæreticos & Catholicos.

forte in neutrum ſapientiam aut ſcientiam in-greſſuras. Hoc eodem ego te conuinco, & conuincio manus pedeſque, vt vel inuitus fatearis D. Thomam & Scotum ſibi contradicere, quia vnus affirmat & alter negat vnum & idem, de eodem, ſecundum idem & eodem tempore; vel te in nullo articulo contradicere hæreticis. Sed forte rationibus inuincibilis es, cum vt monui, ratiocinandi artem in Falcone reliquiſti.

XXVII. *Stoliditas, obiectionem ſumere pro Aſſertione.* Friuolum eſt quod ex illo argumento à te extra omnem normam & modum efficto, ignoranter infers, Illuſt. Cardinalem Sarnanum, quia D. Thomam & Scot. conciliare conatus eſt, à vindice Scoti hæreticum vocari; tum quia etiamſi aſſumeret illud medium, quod ei imponis, non eſſet aſſertio, ſed obiectio, ſumere autem obiectionem pro aſſertione, ſtolidiſſimum eſt, alioquin quotquot exercitij aut enucleandę veritatis gratia, contra Trinitatem cæteraque fidei myſteria diſputant, hæretici eſſent; ſicque ipſum tuum D. Tho. in ſingulis ferme articulis Summæ, hæreticum cenſeres : Tum etiam quia Cardin. Sarnanus nunquam voluit, nec apparenrer potuit, in omnibus D. Th. & Sco. conciliare.

Pag. 8. XXVIII. Pag. 8. Logicæ oblitus arguis Scoti vindicem quod cap. 1. Apol. fatetur Scotum primarium Diui Thomæ antagoniſtam: & ſibi (vt ais) contradicens, cap. 4. vitæ Scoti, dicat eum impugnaſſe Vvarronem, D. Thom. Bonauent. Henricum, Ægidium & Richardum. Bene doces te neſcire contradictoriarum leges, & confirmas quod aſſerui, Logicam tuam in Falcone manſiſſe. Scotus eſt primarius antagoniſta D. Thomæ. Scotus

alios cum D. Thoma, impugnat. En contradictoriæ Grammaticastri.

Vagatur hic Caballus vt tempestatem de immaculata Conceptione sopitam excitet, &c. Iam dixi supra, quàm contumeliose abutaris hac metaphora in vindicem Scoti, sed spero te emendatum iri post secundum annum probationis assistente gratia Dei. Non excitauit ille tempestatem de Conceptione, iam, per Bullam Pauli V. tibi tuisque altum imponentem silentium, sopitam, quoad actus publicos; tuis inquam, non nostris, quibus fas est & licitum piam nostram de Conceptione sententiam in rostris, in cathedris, in plateis, in ipsa etiam Syon quasi tuba canere, & sicuti hactenus per tot sæculorum series præstitimus, cum Salomone (interprete Hieronymo) eam de Libano vocitare: *Veni Columba mea, immaculata mea; iam enim hyems transijt*, imber abiit & recessit, & cum Ecclesia Catholica atque illa *magnæ deuotionis & fidei muliere* (verbis vtar Venerabilis Bedæ) *vocem extollere. Beatus* & immaculatus *venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Non excitauit igitur P. Cauellus tranquillo silẽtij somno consopitos, nec experrectos ciuit; sed asseruit causas inimicitiæ Bzouij vel saltem suspicionis eius, in Scotum, fuisse, quod D. Thomam impugnauerit, & immaculatam Conceptionem propugnauerit. Scripsit quidem Rosarium B. Virginis & velut appendicem adiunxit tertio sentent. Scoti, in quo testimoniis sanctorum fide dignissimis omnium sæculorum à Christo nato, immaculatam Conceptionem neruosè comprobauit; quod tibi forte bilem concitauit,

XXIX.

Aduersari⁹. videtur vindicare voluisse, quod P. Cauellus pro Virgine immaculata scripsit.

dic mi Grammaticaſter quo aptiori nomine illud eſſe ſignificabis: aut quis te tantæ ſcholæ arbitrum & cenſorem inſtituit, vt eam inepte reprehendas, cum in re nequeas, ſaltem in voce, cõtra Aug. apud Sco. ſupra docentem *cum de re conſtat, non eſſe de nomine altercandum.*

Ab hinc annis ſex vel ſeptem concitatus eſt grauiſſimus turbo in ordine ſancti Dominici tota fere Hiſpania. Antithomiſtæ ægre ferebant vel ſcintillam aliquam opinionis D. Thomæ circa Conceptionem fulgere. Eam oppreſſum & extinctum eunt. Sed quo ſcandalo nouit orbis Chriſtianus. Ibidem. XXXI.

Quinam fuerint cauſæ ſcandalorum habes in prædicto Roſario, & fuſius in hiſtoria legationis pro immaculata Conceptione. Sed audi adhuc teſtem quem recuſare non audebis, Paulum V. in ſua Bulla. *Ex occaſione aſſertionis affirmatiuæ in publcis concionibus, lectionibus concluſionibus & actibus publicis, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Chriſtiano, cum magna Dei offenſa, ſcandala, iurgia, & diſſentiones.* Obmuteſceſ-ne ad hæc Apoſtolicæ ſedis teſtimonia? an non vides quorum occaſione orta ſint illa ſcandala quæ nouit orbis Chriſtianus? ſi tacuiſſes, hæc non dixiſſem.

Scandala, cum magna Dei offenſa, orta ex oppugnatione immaculata concept.

Pergit Bzouij vindex, fingens Proregem Neapolitanum vrſiſſe minis, & terroribus incitaſſe proceres Neapolitanos ad propugnandam immaculatam Conceptionem: ſed nihil eos mouiſſe. *Aſſeruerunt,* inquit, *quod S. Thomas, & tan-* Ibid. XXXII.

uiani vindicis: ſed certe vindicta tua à te ipſo inulta non eſt, cum quæ inter vlciſcendum dicis, tibi non leuis pœna, ſint.

Manifeſtum eſt ex ipſo Scoto quam modeſtè circa ſententiam de immaculata Conceptione ſenſerit. Ita enim habet 3. d. 3. Si non repugnaret authoritati Eccleſiæ vel ſcripturæ, probabile videtur & pium B. Virginem peccati originalis fuiſse expertem. Pag. 11.

In omnibus ſententijs vel ſtabiliendis, vel refutandis modeſtiſſime ſe ſemper geſſit Scotus, neque enim vnum iota reperies in eius operibus quod immodeſtiam vel apparenter ſapiat. Diſputauit Scotus quæſtionem ſic. Primò, poſuit rationes maculantium B. Virginem, & duxit eas ad oppoſitum. Secundò, poſuit tres modos poſſibiles liberãdi eam à peccato. Tertiò, ſoluit omnia argumenta & authoritates quibus concludi videbatur B. Virginem originale contraxiſſe. Quartò, humiliter concludit, non per illa verba à te adducta, qui videris eum non vidiſſe, ſed per ſequentia: *Si authoritati Eccleſiæ vel ſcripturæ non repugnat* (iam non repugnare oſtendit ſoluendo omnia in contrarium) *probabile videtur quod excellentius eſt tribuere Mariæ.* Tu pro ijs verbis, *ſi non repugnat*, tranſponis, *ſi non repugnaret*, quod longe alienum ſenſum facit, quaſi abſolute non aſſeruiſſet Scotus Mariam ſine originali conceptam; ſed quod id aſſereret, niſi ſe ſentiret per ſcripturas aut Eccleſiam impeditum. Abſolute aſſeruit, ſed ſuo more humiliter & Religioſe, ſolutis prius omnibus argumentis in contrarium. XXXIII.

Scotus abſolutè aſſeruit B. Virg. ſine originali conceptam.

Idemq; absolutissimè repetijt d. 18. *Beata Virgo nunquã fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, nec ratione peccati originalis; fuisset tamē, nisi fuisset præseruata.* Aliquantulũ timide, fateor locutus est Doctor subtilis, quia præcipui Doctores scholastici tunc florentes, Alensem, D. Thom. & Bona. secuti, pro opposita parte stabãt: sed meritis eiusdem B. Virginis tres relati, sese retractarunt, licet id Doctorem subtilem quantum conijcio, latuerit: cuius scriptis, disputationibus, ac discipulorum eius lucubrationibus restaurata est & in integrum restituta, pia & antiqua opinio de immaculata Conceptione. *Quæ apud omnes Christi fideles à tempore Scoti, ita percrebuit* (inquit Vasq. 3. p. disp. 117. cap. 2.) *vt nullus ab ea dimoueri vel deduci poßit.* Et modo sub grauissimis pœnis mandauit Greg. XV. vt nullus publicè vel priuatim contra eam hiscere vel mussitare præsumat. Vide si lubet scire multa de hac materia in prædicto Rosario edita à P. Cauello, in quem immerito nimis acerbus es.

Alensis, D. Tho. D. Bon. in fauorem immaculata concept. se retractarunt.

Ead. pag. *Quomodo Oxonio, Parisios appulit* (Scotus) *vt sententiam hanc aßereret? dura bella eius causa gereret? quomodo inde Coloniam venit? quando nostros confutauit? quo anno? quo loco?*

Scotus ad propugnandam B. Virgin cõcept Parisios vocatur; & inde coloniam mittitur.

XXXIIII. Vindex Scoti citauit pro his cap. 4. & 5. Vitæ eiusdem, Pelbartum & Bernardinum de Bustis qui immediato post Scotum sæculo floruerunt; Patrem Pinedam, P. Ochedam & alios quos tu dissimulas legisse excepto Oxeda, quem ais in causa Conceptionis suspectum? sic omnes fer-

me Vniuersitates, imo ipsa Ecclesia tibi suspecta erit quæ piam sententiam annua & solemni celebritate veneratur. Et nuperrime omnimodum tibi tuisque silentium imposuit, ne publice vel priuatim, directe, vel indirecte, quicquam contra eam dicatis, sub grauissimis contra secus facientes, statutis.

O Sabini! Sabini! ô Somniatores! Rempublicam vestram nouus hic Scoti assertor nouo figmento illustrauit. Et ego identidem clamo, ô Scabini, Scabini! inuasores iniustos quibus à suis iudicibus non inuigilatur, ne offendant, compescite. O Prætores, ô Inquisitores, ne quis imposterum aduersus immacul. Concept. vel eius defensores susurrare vel musitare audeat, inuigilate.

In tuenda pertinacius sententia de immacul. Concept. princeps fuit Mayronius & alij qui post Scotum docuere. Facile erat inuentis addere. Discipuli magistrum sequuntur. Egregie in hoc laborauit Mayronius; esse tamen principem, figmentum tuum est extra rationem & authoritatem fabricatum, *quæ ab alijs sumpta sunt, prius elaborata, paulatim incrementum sumunt* (inquit Aristot. 2. Elench. cap. 9.) *ab ijs qui postmodum accipiũt, quæ autem ab initio comperiuntur, paruũ in primis sumere solent incrementum, attamen vtilius multo (nota) quod postea ab alijs fit, accremento, maximũ n. omnium principium vt dicitur, quare & difficillimum.* Scotus hic viam aperuit, & principium restaurandæ piæ opinionis. Quod dicis *pertinacius*, rectius dixisses, *constãtius*; etenim supremi tribu-

Defensores immaculata concept. pertinacius in hoc se gessisse, iniuria est manifesta.

nalis ſententia iam liquet vtra pars conſtantius, vtra pertinacius, in hac lite ſe geſſerit. Sed indulgeo tibi quia ſunt vltimæ vices, vltra quas niſi ruptis repagulis & excuſſo iugo, amplius non peccabis in hac materia. Poſuit Sanctiſſim. Dominus cuſtodiam ori tuo, & oſtium circumſtantiæ labijs tuis: Deinceps contra immacul. Concept. non aperies præcipitanter os tuum, neque eius defenſores mordaci & virulenta lingua momorderis.

Pag. 12. XXXV. *Maladiuentia aduerſarij.* *Nec mirum ſi ex tali cerebro hi partus* (nempe aſſerere quod ob immaculatæ Conceptionis propugnationem Bzouius in Scotum acerbius ſcripſit) *cum multa fingant qui ex fonte biberunt Caballino.* Nolo conuicia conuitijs repellere. Iudicet lector de tua religioſitate & modeſtia. Non fingunt diſcipuli P. Cauelli, quem tuo more (an Religioſo, alij iudicent) caballum vocitas; ſed antiquorum authoritate & Philoſophicis rationibus ſua comprobant, & falſa refellunt: & ſi tu vtpote in Theologia tyro, ea non intelligis, habet P. Cauellus diſcipulorum diſcipulos, qui te, Philoſophiã & Theologiam docere poſſunt, & quod pluris faciendum eſt, modeſtos & diſciplinæ regularis ſtudioſos, qua non tam excultam contuor tuam linguam, quàm dicteriorum aculeis armatam. Tu Grammaticam, illi Philoſophiam docuerunt, & Theologiam, ac modo in varijs partibus docent, quos omnes eorumque magiſtros, dicti Patris diſcipulos, ad iuſtam defenſionem, naturæ legibus conceſſam, acerbitate tua laceſſis &

ſtimulas; cuius iniuriandi auiditatem non explerunt innumeræ in magiſtrum iniuriæ, quas cumulatim euomis, quin etiam in inſontes diſcipulos effreni calumniandi libidine dehiſcẽs, innocuorum cruore tanquam pabulo depaſcatur; quod forte impune tranſire non patientur, cum & naturæ ius, ac fraterna charitas id multis titulis efflagitent. Ego interim minimus inter diſcipulos diſcipulorum eius, te in officio continebo ſi extta limina Grammatices tranſilias; te tamen intra eius cancellos latitare & latrare tanquam in aſylo, lubentius quàm in Philoſophicam aut Theologicam arenam decertaturum prodire, comperi. Si quis prouectiorum iuſtum calamum in te cœperit dirigere, tua adortus adoxia, te fortaſſis tui pigebit. Ille tibi bos erit cuius magiſtrum indecorè caballum appellitas. Caue ne tanto iniuriarum pondere, *laſſus fortius figat pedem*, teque opprimat vitulum nouellum, cornua tamen producentem & vngulas. Præuidere debueras *quod corona ſenum filij filiorum*; *&* *gloria filiorum, patres eorum*. Prou. 17.

P. Cauelli diſcipuli iniuſte prouocati ad ſcribendum.

Hæc ſufficiant in præſentiarum ad acerbas Patris Ianſenij animaduerſiones in 1. cap. ſui libelli, reprimendas; cui quia adhuc conuiciorum ſatur non erat, ſupplemẽtum addidit in quo abundè murmurat contra aſſerta 1. c. Apolog. vt eius ordinem ſequar, eius ſupplementum, altero inferius refutabo.

EXAMEN

Cap. II. & III.

Pag. 12.

MONET vindex Bzouij quod impoſterum vindex & aſſertor Scoti, vocabitur interpres ſcilicet Bzouij : aſt quàm ineptè, quis non videt? perinde eſt ac ſi Scotum interpretem D. Thomæ, vel

P. Ianſenius Antiſcotiſtà, Bzouiſta impoſterum vocatur.

Catholicum aliquem ſcriptorem controuerſiarum fidei, interpretem ideo hæreticorum diceres. Synonima ſunt huic Grammatico impugnator & interpres. Ego poſthâc ipſum vocabo, non interpretem Scoti quem nunquam intelliget, nec interpretabitur, ſed antiſcotiſtam aut Bzouiſtam; antiſcotiſtam inquam non diſputatione quam adhuc non mouit, ſed arte carpendi & mordendi, quam optime callet. Breuitatis etiam gratia, vtar quandoque nomine interpretis vt ipſe vult pro Scoti defenſore ſeu authore Apologiæ.

Pag. 13.
XXXVI. Fatetur antiſcotiſta, interpretem veroſimiliter probaſſe Scotum non obijſſe anno 1294. vt dixit Bzouius, ſed anno 1308. ex eius epitaphio; quaſi nihil præter Epitaphium in huius veritatis probationem adduxiſſet, cum præter illud, attulerit etiam pro ſe S. Antoniuum, Bellarm. Thrithemium, Senenſem, Gonſagam, Rodulphum, Vvillot, Compendium temporum, Gualterum,

Genebrardum, Prateolum, Gordoniũ, Rebolledo, Marcum Vlisipponensem, Authorem Firmamenti trium ord. Miræum, Ioannem Pitseũ, & Ciaconium; qui omnes asserunt Scotum eo anno obijsse, præter Anton. Bellarm. & Ciacon. qui tantum ponunt eum in 14. sæculo. & Historia vniuersalis ad ann. 1300. Quibus & ego addo Posseuinum in suo Apparatu sacro, de Scoto, Cronicon Coloniense, Hermanum Nurembergen. in Cron. Gerard. Mercat. in Athlante, de Scotia, Gulielm. Lisingren. in Catal. test, verit. Sedul. Hist. Seraph. Balduin. in Cron. Mor. anno 1308. Omnes hi de tempore mortis Scoti pro interprete sunt contra Bzouium præter alios nõ paucos qui vel cum his expresse conueniunt, vel tacite consentiendo de die mortis non agunt. Vide Paul. Langium in Cronico Citizensi. Valaterranum li. 21. Antropol. Bergomens. in supplemento ad ann. 1302. Lesleum de gestis Scotorum, lib. 7. Rege Ruberto Brusæo 97. Sabellicum lib. 7. cap. 4. Exemplorum, Zuingerum in Theatro volum. 1. lib. 3. pag. 223. Boet. lib. 15. Histor. Scot. Neque ex tanta multitudine autorem vllum pro Bzouio reperio, neque ex alia, præter vnum suum Iouium, quem cunctis præfert, quia contra Scotum est.

Scotũ obijsse, ann. 1308. omnium cõsentit authoritas.

Quicquid sit habuit suos authores Bzouius. Cur non profers vnum præter solum Iouium, qui non facit numerum pluralem authorum? proferres si habuisses. *Quid miri, si cum plures inter se dissentiunt, vnus sententiam occupet, quæ minus vera? ex quo facile purgatur Bzouius.* O insignem purgationem Bzouio dignam! ô integerrimum iudi-

Pag. ead.

cem. Vnum contra omnes ſequi in ſententia minus vera, nihil miri: tam facilis eſt, ad tuum tribunal delata cauſa, iudicis minus iuſtam ſententiam ferentis, quandocunque litigatur de veritate aut iuſtitia, purgatio? tam facilis liberatio? ſane quem ſic purgas conſpurcas; damnas quem ſic liberas. Hocque maxime mirum eſt quod in ijs quæ ſola authoritate probantur, vnius ſcriptoris malè ſani (qualem fuiſſe Iouium recte oſtendit interpres cap.7.) teſtimonium, in aſſerto minus vero aut falſo, omnibus præferatur.

Mirum, &, in Hiſtor reprehendendum, vnum teſtem multis dignioribus preferre.

XXXVII. Agitat Apologiam temerarie & acerbe dixiſſe de Bzouio. *Quàm acceleratam Scoti mortem cupias, non obſcurè oſtendis, dum ei* 14. *annos vitæ ſurripis.* Antiſcotiſta vt ipſi antiquum eſt, aliter verba refert. Verumtamen non videtur didiciſſe Materiam de actibus humanis, vel ſaltem neſcit actum externum preſupponere internum. Vult Bzouius actu externo Scotum vita functum 14. annis antequam vere mortuus; ergo interius cupiuit acceleratam ipſi mortem: certe qui mihi vellet auferre 14. horas vitæ, accelerare mihi mortem vellet.

Interpres coarguit Bzouium quod dixerit, *volens nolens obijt Ioannes Duns Scotus.* Intendens per hoc Scoti honori detrahere ex modo mortis, vt ſtatim volens nolens prodit & inſinuat paulo poſt. Explicauit etiam modos licitos quibus omnes nolentes volentes morimur; & ſi id vitiatum foret, ipſi ſaluatori vitio verti: docuit inſuper hiſtoricum varias diſtinctiones ſcholaſticas ad propoſitum quas forte antea non nouit, oſtendens plus malitiæ quam myſterij in illis

Bzouius irriſoriè dixit, volens nolēs Scotus obijt, &c.

vbis

verbis latere. Occurrit Antiſcotiſta qui datas diſtinctiones non intelligere viſus, interpretem reprehendit quaſi contra Euangelium facientem, quod nimirum Bzouij verba in malam partem acceperit, cum in bonam ea accepiſſe potuerit. Reſpondeo ex ipſo Bzouij contextu & modo effictо mortis Scoti, patere prædicta verba irriſorio artificio & cenſu adducta fuiſſe. Proculdubio ſi ego dixiſſem, Anno 1274. volens nolens obijt Sanctus Thomas, non in bonam partem interpretaretur ea verba Bzouius, aut vindex eius.

Pergit Antiſcotiſta contra Apologiam oſtendere Scotum non fuiſſe natione Hibernum ſed Scotobritannum, quia Vvorillon ep. in 4. Sent. ait de Scoto, *Te primitus Scotia genuit*. Reſpondeo Mauritium in Prol. ſuper Vniuerſalia eiuſdem, id intelligere de Scotia Maiori quæ eſt Hibernia, quæque apud priſcos omnes ſcriptores Scotia nuncupabatur vt euidenter demonſtrat interpres, vnanimi ipſorum conſenſu, cap. 2. Vitæ eius: remittis huius rei diſcuſſionem ad cap. 8. & ego eo remitto huius tui erroris refutationem, vbi manifeſtabo tuas technas tacentis ſubdolè & ex induſtria, aduerſæ partis præcipua fundamenta, aliis allatis & tuo iudicio confutatis, vt ſic vel fuco ſaltem veritatem occuleres, & lectori imponeres. *Pag. 15. XXXVIII.*

Arguit interpretem, quod Bzouium ſibi contradixiſſe aſſeruit, quod Ioannem Duns, natione Scotum, & ſtatim ab obſcuritate, Scotum appellari diceret. Reſpondeo, addendum erat vnũ, *etiam*, quo tolleretur contradictio, ſic Ioannes *Pag. 16. XXIX.*

Duns, natione vel à natione Scotus, & etiam ab obſcuritate, ſic dictus. Sed hoc ſecundum, calũnia eſt à quodam Thomiſta, primo adinuenta, ſicut & fabula de Scoti ficta morte, fabricata eſt ab inuidia.

In hoc capite duos errores Bzouianos ab interprete reprobatos, ſilet Antiſcotiſta, quia loqui non poteſt; quorum alter eſt Scotum fuiſſe diſcipulum Alexandri Alenſis, qui tamen obiit antequam Scotus naſceretur; alter eſt eundem Pariſijs Theologiam audiuiſſe. Vtrumque craſſum eſſe errorem conuicit interpres: cui cum non reſpondet aduerſarius, conſentit, per regulam iuris 6. Qui tacet, &c.

Pag. 17. l. x. P. Cauellus relatis illis Bzouij verbis: *Scotus ob profundiſsimam dicendi ſcribendique obſcuritatem, Scotinos, ideſt tenebricoſus, &c.* ſubiunxit. *Heruuartus ipſum notauit in Græcis Scotinos.* inſultat Antiſcotiſta, & gloriabundus quaſi capta præda & diuidens ſpolia, exultat; ſuiſque Grammáticalibus ſe recreans, irridet aduerſarium quod non dixerit, Scotinon, concludens; *Hic interpretem egiſti, ſed vere fuiſti Scotinos.* Si in tuam Grammaticam ſcholam ingrediens Saluator diceret id Ioan. 13. *vos vocatis me Magiſter*, dic quæſo Ludimagiſter, an eſſet tibi Scotinos? an exibilares ei, quia non dixit: *vos vocatis me Magiſtrum*? Naſo ſuſpenderes adunco Hieronymum ſic Latine loquentem? at huic eſt omnino ſimilis illa: *Notauit eum Scotinos.* Sine, ſalua pace tuæ Grammaticæ, mallem Hieronymum in hac phraſi imitari & ſacram

Ridicula, Grãmaticalis redargutio aduerſarij refellitur.

Scripturam, quam tua rudia rudimenta Grammatica, quantumuis cachinno distorqueas ora. Sed siste risum aliquãtisper,& vide apud Grammaticos etiam voces aliquando sumi materialiter. Arist.2. de Anima text.71.& 121.docet *oportere oculum esse extra omnem colorem, vt omnem colorem possit videre.* Quod subtiliter tractat Scot. 2. d.3. q.8. ad 3. Tu forte quia extra multam materialitatem non es positus, hanc materialem acceptionem termini videre non vales. Primus qui videtur docuisse Scotum vocari Scotinos, est tuus Senensis quem negligenti quadam incuria aliqui alij secuti sunt.

Pergit Antiscotista pro sua modestia postquam P. Cauellum suo Bzouio comparauit, subiungens: *Non audeo hic exclamare, sus Mineruam, quia hactenus in metaphora caballi persistere visus sum.* Hactenus sæpius comparasti eum equo effræni animali feroci& indomito, nunc sui brutorum sordidissimo, ipsum æquiparas. Si sus est humano capite sus est, qualem refert Fulgos. lib. 1. de Prodig. & sane qui tuam doceret Mineruam etiam rem Historicam. Sed volo in hoc mutus esse vt sunt sues Macedoniæ ex eodem lib. 3. cap.34. Solum dicens hanc horrendam esse contumeliam,& non modo indignam viro religioso, sed quouis vel mediocriter honesto. Certus sum in schola perfectionis D. Dominici in tua probatione meliores te mores didicisse, quos mirum est te tam cito dediscere potuisse, nisi spes alat eos recuperandi in secundo nouitiatu post absoluta studia quibus quandoque religiosi mores elanguescunt.

Pag.18. LXI.

Comparatio calumniosa aduersarij.

XLII. Qui tales profert contumelias clamat nihilominus in Scoti vindicem quod maledictorum conuiciorumque glomerator sit & accumulator: verumtamen in eo id solum contumeliarum reperire potuit, quod quas Bzouius in Scotum conglobauerit, ad oculum propalatas refutauit, fraudesque & mendacia detexit. Rogaui lectorem iterumque rogo obseruet quæ ipse Antiscotista animaduertit in Apologia, & æqua lance iudicet, an verum sit quod assero. Quis autem sanæ mentis mihi vitio vertat, quod contumelias aliorum in meos referam & refellam. Quam misera esset Respublica in qua furta impune committerentur, & male audiret qui ea publicaret? Isti impune volunt calumniari, & clamant calumniosos esse qui illas patiuntur si eam publicant.

XLIII. Ægre fert Antiscotista quod interpres dixerit: *Scotus arduas tractauit difficultates, ante ipsum per nullum ita examinatas. Item, difficiliora, subtiliora, & eleuatiora alijs Theologis disserit.* Occurrit ille. *Nunquid interpres magno Augustino & D. Thomæ notam inurit.*

Quæro ego. Nunquid quia D. Thomas quædam tractauit quæ Augustinus non tetigit, ideo inuritur nota Augustino? Facile est inuentis addere. Tractauit Scotus quæ alij ante ipsum, & his multa de suo addidit subtilissima & eleuatissima quæ proprio Marte adinuenit: ex quo notam aliis Doctoribus inuri, sola inuidia potest inferre; illi enim suis prærogatiuis eminēt; in subtilitate vero ac sublimitate speculationum, omnes abeo

Scotus sine vllius iniuria omnium subtilissimus

non auersi, Scotum prædicant, quin & ipse Bzouius tua Minerua fatetur neminem eorum qui se religionibus addixerunt Scoto esse subtiliorem vel acutiorem: cur ei non succenses? non clamas notam inusisse Diuo Thomæ & Augustino?

Vindex Scoti. *Neque excusauerim quosdam Scotistas, quin multis in locis Scoto tenebras offuderint, nonnullasque minus veras opiniones ipsi tribuerint* Antiscotista. *Hic vocantur multorum Scotistarum opiniones absurdæ & tenebricosæ.* Vide lector imposturam. *Quidam Scotistæ,* ait interpres. Ille imponit, *multorum Scotistarum opiniones absurdas esse.* Nonne passim Thomistę sibi cõtradicunt de mente D. Thomæ in præcipuis quæstionibus; vt de præsentia rerum in æternitate, de existentia materiæ primæ, de principio indiuiduationis, de intentione graduum, de augmento charitatis, de prædeterminatione materialis peccati & de eius ratione formali, de constitutione personarum diuinarum, de ornatu in quatuor Sacramentis, de Sacramentorum causalitate respectu gratiæ, de necessitate cõuersionis ad Deum in primo instanti vsus rationis sub pœna peccati mortalis, & aliis multis; atqui horum aliquos necesse est tribuere opiniones nonnullas minus veras Diuo Thomæ, quia singuli eum pro se conantur adducere; necesse etiam est aliquas opiniones contradicentium sibi, si non semper saltim sæpius, absurdas esse. Nemo tam stultus est quin sciat;

pag. 19. XLIIII.

Thomistæ aliquas opiniones minus veras quandoque absurdas tribuunt D. Thomæ.

non omnes Thomistas neque omnes Scotistas semper verum dicere, sed vt homines quandoque decipi; imo & ipsum Doctorem Angelicum nunc falsum fuisse, nunc deceptum fatetur eius studiosissimus commentator Caietanus.

XLV. Quid ergo triumphas Antiscotista, quasi in re magna vinceres & interpretem etiam in suos Scotistas iniuriosum conuinceres? Somnias te forsan inter tuos pueros quos solos puerilibus huiuscemodi crepundijs tuis allectos facile est hallucinari. Quidam sanctorum Patrum & orthodoxorum Ecclesiæ luminum opinionibus aliquot minus veris & absurdis etiam adhæserunt; & qui hoc de quibusdam Scotistis dixerit, te iudice, plaustro iniuriarum in Scotistas onustus, & multorum conuiciorum reus censendus. Sed quis Scotistas tuos clientes, quis te Scotistarum causidicum constituit? Tu putas omnes Scotistarum opiniones quas contra D. Thomam sequuntur esse minus veras, quod est falsissimum; & non offendis: cur igitur offendet interpres dicendo aliquos Scotistas tribuere Scoto nonnullas opiniones minus veras, quod est verissimum? Mitto cætera quæ hic inculcas, nil nisi Grammaticales delitias habentia quibus te ipsum oblectas & pascis, responsione autem & scitu prorsus indignas. Illis fruitor, lætator.

Quidam sanctorum quasdam opiniones minus probabiles sunt secuti.

Pag. 22.
XLVI. Adducit Guliel. Estium qui in Præfatione ad primum Sent. ait: *Obscura subtilitas solet multorum mediocria ingenia à lectione deterrere; quale quid accidisse Ioanni Scoto propter obscuram subtilitatem narrat Tritem-*

Obscuritas ex triplici capite oritur

ius. Ex Apologia responsum habuisti è Diui Hieronymi doctrina depromptum, nempe *obscuritatem oriri ex rei magnitudinè, Doctoris imperitia, vel duritia auditoris*. Ex 1. ca. obscurus est Scotus quia alta & difficilia tractat; & ex tertio etiam quia auditores ab ipso auersi, eum in peiorem partem vel inuitum detorquent, imponentes ei quod minime cogitauit. Remitto lectorem ad Apologiam vbi circa hoc aliqua notatu digna inueniet. Admitto etiam tardiora ingenia nec Scoto, nec cuiquam alij speculatiuæ seu scholasticæ Theologiæ Doctori legendo, esse admodũ idonea, neque in ijs multum profectura; mediocria autem adhibitis industria & labore, mediocriter, in Scoto proficere possũt, sicut in quouis alio: & si experientia Estium docuit oppositum, illa particularis erat, ac proinde scientiam non generat. Verum crediderim eius tẽpore in schola ipsius, paucos vel nullos Scotistas viguisse.

Coarguit vindex Scoti Bzouium quod in malo scilicet obscuritate, Anaxagoræ Scotum comparauit, cum tamen possit in bono comparationem facere, quia *is excellens fuit Philosophus, patrimonium & diuitias sponte & vltro reliquit vt ad speculationes se conuerteret, doctrinarum studio flagrans, omnia terrena neglexit; & cuidam eum ob patriæ incuriam reprehendenti, respondit. Mihi vero patriæ cura est & quidem summa, digitum in cœlum intendens, ita Laërtius*. Antiscotista ad hæc ait. *Optat vt Bzouius Sco-* *Pag. 23.* XLVII. *Præclarum Anaxagoræ responsum.*

tum quoad egregias virtutes Anaxagoræ contulisset. Votum non probum mea sententia (nolo dicere improbum quia videri posset conuicium aliquod mihi excidisse) quid enim? laudaturus Scotum Bzouius, eius virtutes cum Anaxagoræ comparatum ibit, quasi Scotus gentilis sit, non Christianus?

Quis ita subtiliter argueret nisi antagonista noster? comparatur Christus in sacra Scriptura leoni & agno; ergo, hoc argumento, homo non erit. D. Thomas ergo male comparatur Salomoni, quasi Iudæus sit, non Christianus: & peius comparatur boui mugienti quasi irrationalis sit, non homo. Certe hoc argumentum nimis bouinum videtur. Similitudo non debet currere quatuor pedibus, nec in omnibus oportet similia assimilari; licet tu similitudinem, identitatem faciens, vtrumque confundas. Clamas pag. 20. *Ad scholas, ad scholas*. Ego identidem tibi clamo, ad summulas, ad summulas, vt argumentari discas. Contra conscientiam dicis: *Quia videri posset conuicium aliquod mihi excidisse*. Cum liber tuus vbique conuiciis & contumeliis scateat. Conuicium non putas virum religiosum, Theologiæ Professorem emeritum, sui ordinis Definitorem Generalem, vocare caballum? vocare suem? Mirantur alij tuorum superiorum in te indulgentiam. Sed postea videbis tuorum conuiciorum & excessuum cathalogum.

Similitudo non debet currere quatuor pedibus.

Asseruit Apologia obscuritatem falsò impositam Anaxagoræ. Arguit Antiscotista in oppo-

ſitum, Anaxagoram obſcurum fuiſſe *quia dixit Solem eſſe laminam igneam; in Luna eſſe habitationes, montes, valles: ſtellas eſſe lapides, cœlum augeri lapidibus, & hos quandoque cadere in terram.* Verumtamen iſta luculenter probant oppoſitum; nam ſi hæc ſunt obſcuriſſima quæ reperiri poſſunt apud Anaxagoram, & hæc tam clara ſunt vt cuiuis eorum falſitas clarè pateat, ſanè conſequens eſt vt Anaxagoras non obſcurus ſed clariſſimus exiſtat etiam in ijs in quibus hallucinatus eſt; non enim à veritate dicitur author clarus, ſed quia facilè percipitur quod velit dicere ſiue verum ſit ſiue falſum. Quid ſacris Prophetarum oraculis verius eſſe poſſet, pleraque autem obſcuriſſima. Tandem fatetur quod *Scotinos* cognomentum fuit non Anaxagoræ ſed Heracliti: pro quo tantum adducit Rodulphium & Sedulium Minoritas, quia etiam admittunt Scotum eo nomine vocari. Sed incautè nomen ab hoſte inuentum Senenſi ſcilicet. Quod vero illud cognomen Heracliti fuerit, habet Laërtius lib. 2. de vitis Philoſoph. Seneca epiſt. 12. Polyd. Virgil. de Inuentor. rer. lib. 1. cap. 2. Hieron. lib. 1. in Iouin. in princ.

Sententia Anaxagoræ

EXAMEN

Cap. IIII.

pag. 25. BZOVIVS. *Scripsit Scotus præter logicas difficultates, commentarios in Euangelium, Apostolum, & Magistrum Sentent.* Interpres. *Vbique Bzoui in Scotum iniquus es: dum Cathalogum scriptorum eius texis, duas ferè partes furtiue transilis.*

Bzouista hic conqueritur de conuiciis, quod Bzouio dictum sit iniquum esse in Scotum. Sibi suoque Bzouio licere vult iniquitatem facere, conuicia effundere; alienum honorem suis scriptis diminuere: aliis autem nefas esse isthæc publicare. Dein spatiatur in suis Grammaticalium deliciarum hortulis, seque suis eiusmodi ludis recreans, grauiter vindicem Scoti reprehendit quod referens Bzouij verba, post illa, *Logicas difficultates*, interposuerit vnum &, sed crepundia hæc iactitans puerilia, se puerilem ostendit & deceptum etiam: præterquam enim quod illud & constat Typographi vitio irrepsisse, nec rem, nec sensum, nec regulam Grammatices vertit nec euertit. *Sed omittam* (inquis) *hæc Grammaticalia quæ minoris sunt momenti.* Sic forte haberes quæ minimi aut nullius sunt momenti, vel certe in puris naturalibus maneres, quoad scien-

tias omnes; ad altiores enim acquirendas non multum sudasti.

Vt defendas Bzouium non transiliisse silentio duas fere partes scriptorum Scoti asseris eum per Logicas difficultates intellexisse Metaphisicam, *forte* (ais) *& Physicam cum is qui Philosophus est, vocari posset Logicus*. Quis vnquam vidit tam liberum glossatorem? Logica opponitur Physicæ & Metaphisicæ, ac libris de Anima, vt vna pars Philosophiæ naturalis aliis partibus eiusdem, & tamen nouus iste glossator per hanc vult intelligi illas. Nonne sic posset dicere eum qui scripsit in 1. lib. Senten. aut illum didicit, hoc ipso scripsisse in reliquos tres, aut illos didicisse: eum qui didicisse se Logicam dicit, hoc ipso fateri se etiam Physicam, Metaphisicam, atque animasticam scientiam didicisse? Imo & sic dicendum esset per Grammaticam, Logicam intelligi: cum æque vel magis distent cæteræ naturales scientiæ à Logica, quam hæc à Grammatica. Sed probas Logicè, *quia is qui Philosophus est, Logicus vocari potest.* Insignis consequentia & valde Logica. Qui Philosophus est Logicus vocari potest, ergo Logica comprehendit totam Philosophiam naturalem. Nonne eodem modo sequeretur, qui Theologus est, Grammaticus vocari potest: ergo Grammatica totam Theologiam comprehendit? Ne irascaris, dicam quod res est: qui talibus consequentiis innititur, neque Logicum se neque Philosophum esse ostendit: imo vero nescio si in ipsa Grammatica excellat. Fatere ergo Logicam, non comprehendere alia Philosophica Scoti, nempe Physicam,

11.

Inscite per Logicam tota Philosophia exponitur.

Aduersarius Logicæ ignarus.

Metaphiſicam, vniuerſalia, libros de Anima, de modo ſignificandi, expoſitionem Textus Metaphiſicæ, Quæſtiones Metaphiſicæ, & Meteora: quæ omnia ſi cum Logica comparantur quintuplo vel eo amplius eam excedunt, quod plus eſt quam aſſeruit interpres. Adde ſecundum Poſſeuinum, & alios, Scotum vt fertur ſcripſiſſe in omnes libros Ariſtotelis.

111\. Pergis oſtendere reliqua Scoti opera comprehendiſſe Bzouium ſub commentariis in Euangelia, Apoſtolum, & Magiſtrum: quia ſermones de tempore, & ſanctis, ad Euangelia, vel Epiſtolas ſpectant, reliqua vero paruam molem conſtituunt, quod ex ipſis titulis eorum tibi conſtat. Iam dixi te nimis liberum eſſe gloſſatorem. Nullus vnquam te excepto, per commentarios in Euangelia, vel Apoſtolum intellexit ſermones. Reliqua opera Theologica Scoti, à Bzouio prætermiſſa, ſunt, lectura in Geneſin ad lit. opus Magnum. Quodlibeta, Collationes, de primo principio, de cognitione Dei, Theoremata, Tetragrammata. Hæc ſeptem tu falſo aſſeris paruã facere molem. Sed non eſt mirum te falli in ijs quæ omnino tibi ſunt ignota. Aliqua horum parua ſunt, fateor: at omnia ſimul non paruam molem conſtituunt. Sed quæſo, noue gloſſator, quomodo ex titulis noſti illa opera paruam facere molem? Titulus in Geneſ. ad lit. docet-ne opus eſſe exiguum? Sed tu doces exiguam eſſe tuam de Geneſi notitiam. Librum Scoti de perfectione ſtatuum, & libros Commentariorum imperfectorum manuſcriptos nihili facis: & alios varios eius tractatus ſilentio tranſis, quos ſi ma-

Opera Scoti à Bzouio prætermiſſa.

turè consideraret, & quæ plurimi facienda sunt superbè non contemneres; si veritatem non victoriam intenderes, ingenue fatereris quod asseruit Interpres, duas fere partes operum Scoti pretermissas à Bzouio.

Pag. 30. & seq. Grauiter & irrisorio modo arguis interpretem quod in lucem non dederit illa Scoti manuscripta. IIII. Inauditi criminis reum facis quod opera tot sæculis carceribus damnata, non asseruit in libertatem. Verum animaduertere debebas primo artem impressoriam saltem in Europa nouitium esse inuẽtum vt scribit Volaterr. lib. 33. & Polydor. de Inuent. Rer. lib. 2. cap. 7. Quam inceptam esse dicit per Guthembergum Moguntiæ ann. 1442. *Ars impressoria quãdo, vbi, à quo inuenta.* Deinde aduertendum erat hæresim centum circiter annis ab hinc infecisse Angliam vbi scripta Scoti asseruabantur, idque in causa fuisse vt quotquot iam ex operibus eius edita essent, & Summa etiam D. Thomæ, publico iubente edicto cremarentur. Putas-ne cætera eiusdem authoris opera ibidem typis mandari permitterẽtur? Hæc perpende, & desines Interpretem irrisione & criminatione tua vellicare & flagitij accusare quod manuscripta Scoti imprimi non fecerit. Nuper prodiit quoddam opus D. Augustini contra Iul. in lucem; à cuius scriptoris tempore duodecim circiter sæcula fluxerunt. *Multorum opera nondum edita.* Ideo-ne inauditi criminis rei erunt omnes Theologi qui se fatentur & sunt discipuli Augustini? In vltima editione Bibliotecæ Patrum anno 1618. Coloniæ, quot opera Sanctorum nunquam antea edita, luce publica sunt donata? quos idcirco irridebis? quos criminaberis? Sed

& aliqua ipsius D. Thomæ opera adhuc primam lucem non viderunt. Mihi constat quosdam eius tractatus in Belgio reperiri nondum editos, de quorum impressione agi cœptum est cum Domino Kerbergio ante aliquot annos, sed res infecta mansit, quod plus quam par erat pro ijsdem exigi iudicaret. Sunt igitur te iudice Thomistæ omnes irridendi & criminis rei? Non sunt vtique, sed argumentum tuum cum ineptum sit ad aduersarium confutandum, magnum est inscitiæ tuæ argumentum & indicium. In Bibliotheca Regis Christianissimi, in Conuentu Minorum Lutetiæ, omnium fere patrum aliquot sunt opera nondum impressa. Similia videre est in celebri illa Bibliotheca sancti Victoris eiusdem ciuitatis. Et lõge plura in Vaticana. Coargue nunc incuriæ sanctissimum Dominum, Christianissimum Regem, quod hæc in libertatem è carceribus non asseruerint, & luce publica non donauerint, sed argue potius tuam temeritatem.

Pag. 30. v. Excusas Sixtum Senensem ab infami Epigrammate (de quo postea) præfixo cuidam fragmento expositionis Scoti, in epist. ad Rom. apud ipsum lib. 4. Putans id suppositititium esse & additum vel ab anonimo aliquo vel à P. Ioanne Hayo Societat. Iesu, qui Senensem auxit vt probas ex Posseuino. Isthæc aliis tuis annumerentur. quis tibi credet R. P. Hayum voluisse apponere tale mendacium nomine Sixti in Scoti iniuriam? nõne sic facile tibi est omnia quæ contra te tuosque in medium proferentur, tam vanis imaginationibus eludere? Sed & Posseuino imponis, qui nequaquam asseuerauit P. Hayum auxisse Six-

tum vt tu falſo aſſeris, ſed ſic. *P. Ioannes Hayus Theologus ex noſtris, librum 4. Bibliothecæ Senenſis recognouit: ſed quia id conſilium non eſt ſecutus, quod nos cœpimus, ideo labor noſter non erit inutilis.* Recognoſcere non eſt augere vel addere, ſed corrigere vel expurgare, quod fecit ipſe Poſſeuinus in Sixto. Auſus es tamen tam futili tuo figmento innixus audacter improperare Interpreti, *quòd cæcus fuerit in iudicando Senenſi.*

De Comentariis Scoti ſuper ad Rom. habes. *Quid opus eſt hebetare ingenium* (ſcilicet horum lectione) *cum aliunde poſſet acui? Bellarm. ait Commentaria Scoti eſſe valde obſcura.* Iniurioſa propoſitio quod ſubtilis Doctoris lectio hebetat ingenia; imo acuit teſte experientia. Propoſitionis autem probatio, ignorantiæ potius eſt tuæ; eſto enim quæ leguntur obſcura forent, non ideo hebetant, ſed acuunt. Obſcurus Ariſtoteles; ſed cuius lectio acuit ingenia, quæ clara legēdo non tantum acuminis acquirunt. Hęc argumentatio ingenij acumen non indicat, ſed maleuolentiam animi. Pag. 31. *Obſcuritas potius acuit quam hebetat ingenia.*

Hic leuitate plus quam puerili inueheris in Interpretem quia aſſeruit Scotum ſcripſiſſe Tractatum de immaculata Conceptione: vbi poſt multas irriſiones & ſcommata ſubiungis. *Quò locorum abijt ille tractatus? an fors apoplecticus interijt, interrogare ſaltem poſſum, ſi nihil aſſero.* Et mox. *Sine neruis ſcripſit* (Interpres) *& tanquam caballus effrænis in Bzouium irruit.* Author Conformit Poſſeuinus, Ioannes Pitzeus, & alij citati capite vltimo vitæ eius teſtantur Scotum præter recitata opera, multos alios tractatus ſcrip- Pag. 32.

Scot. ad propugnandam Virginis puritatem Parisios vocatus.

ſiſſe: *inter quos* (inquit interpres) *dubium non eſt ſcripſiſſe tractatum de Conceptione pro qua tot cruenta ſuſtinuit bella. Quæ enim habet de hac re in 3. diſt. 3. q. 1. Scripta erant in Anglia antequam euocaretur in Galliam ad quæſtionem illam pro matris Dei honore propugnandam.*

Quod vero Scotus in Galliam ſic vocatus fuerit & ibidem varias diſputationes habuerit pro Conceptione, ex probatis authoribus oſtendit Interpres cap. 4. & 5. Vitæ Scoti, ipſique Pariſienſes hodie fatentur: Ex quibus certo colligi videtur aliquem inter illos multos Tractatus, de Conceptione ſcriptum extitiſſe. Bzouiſta rationes & authoritates aduerſarij reticens, irriſionibus & ſcommatibus omnia expedit: *An fors* (inquit) *apoplecticus interijt? interrogare ſaltem poſſum ſi nihil aſſero.* Reſpondeo. An pudorem perdidit? an Religioſus eſt? an inſignis conuiciator, qui talem virum caballum vocat effrænem? interrogare ſaltem poſſum ſi nihil aſſero. *An apoplecticus*, inquis, *interiit*? verius peto periiſſe inuidia, quæ authorem apoplecticum periiſſe confinxit.

pag. 34. VII. *Stomachatur* (ſcilicet Interpres) *à ſe non ſine labore inuentum illud carmen quod viſioni cuidam Ezechielis D. Hieronymus præpoſuit.* Falſiſſimum eſt; quod lubet effingis, vt ſaltem laruas vincas, cum aduerſarium nequeas. Oſtendit Interpres quàm ineptè dixit Bzouius ex tractatu Ezechielis illud carmen eſſe deſumptum. Cuius rationibus quia reſpondere nequis, eas vidiſſe diſſimulas. Remitto lectorem ad cap. 4. Apol. Vbi quia Interpres à Bzouio quærit: *Cur non ſcribis vbi Hieronymus in Ezechielem illud carmen habet, ſi lectorem*

vt ve-

t *veritatem quærat impedire non volebas? tenebras ijs obijcis, & ipse tenebrosissimus es:* Bzouista col- git inde eum stomachari, vt irascentis homi- s sibi simulachrum aliquod erigat scommati- is irridendum, cum nullum stomachantis in- cium præbuerit interpres præter percontatio- em, quare non citauit locum Bzouius si verita- m non latere voluit.

Satis illi esse debebat in Bibliotheca Senensis & à- ouio id citari. Sed neque Senensem ipsum no- inat Bzouius, vt lectorem fraudulenter deci- at, sicut optimè coarguit Interpres. quomodo go satis esse debebat citari apud Senensem. Ci- ri à Bzouio non satis esse debebat quem Inter- es conuicit de mendaciis & cuius errorum per unes Prouincias Europæ magnam syllabum mposuit Heruuartus Cancellarius Bauariæ. emel malus semper præsumitur malus in eo- em genere delicti. Reg. Semel de Reg. iur. 6. igitur qui non semel, sed plusquàm millies in- ntus est errasse, minimè credendum, sed sem- r errasse. Friuola sunt quę adducit Bzouista de cerone alijsque oratoribus & historicis, quod ıra scripserint non citatis authoribus, quia n fuerunt Bzouianæ fidei. Præterea dum ali- is citatur quo crimen proximi (vt in nostro u) probetur, debet id fieri quo clarius potest odo, quia in criminibus probationes requi- ıtur luce meridiana clariores L. sciant cuncti le prob. ibidem.

Quærebas scilicet illud carmen, quod ego, imo qui- Poëseos candidatus deprehendat facillime. Et obat quia carmen diuerso charactere à prosa pag. 34. VIII.

Aduersarius vult haberi Poeseos candidatus. imprimitur. Erat-ne quæso sic facillimum 14. libros Hieronymi in Ezechielem per singula folia & paginas lustrari? si per differentiam characterum deprehendendum erat illud carmen, quid opus erat candidato Poëseos, quia ad dignoscendam diuersitatem characteris sufficeret denigratus Poëseos, vel idiota. Sed capio te; voluisti nobis innotescere quod nesciuimus, te nimirum esse Poëseos candidatum: Verum animaduertere debebas in antiquioribus editionibus Hieronymi non haberi illam diuersitatem characterum carminis & prosæ; & molestum esse cogi ad quærendas nouas, sed neque in noua editione Plantiniana ann. 1578. inuenitur. Neque in recentissima editione Parisiensi ann. 1619. Audeo tamen dicere quod ad ista non erubesces. Rem Historicam cum poëtica confundis, ideo fingendi tibi amplam facis potestatem.

Pag. 35. *Exagitat Interpres cap. 5, præter illa quæ in prædictis refutata sunt, mẽdacem fuisse Bzouium qui à Senensi ducit carmen illud subscriptum operibus Scoti, cum soli fragmento iudicauerit conuenire. Ad quod respondeo Bzouium locutum συνεχδοχῶς.*

IX. Quam fictitia sit ista tua (ô admirabilis glossator) interpretatio, vel ex eo quantumuis cœcutienti liquet, quod inde niteris excusare historicam narrationem, (quam nil nisi rerum gestarum veritas decet, omnis fictio & fabula deturpat) quòd instar Poëtici fabulamenti vtatur figura illa, qua vix vllum est excogitabile mendacium quin sic verificari posset; quaque vix vn-

quam aut ne vix quidem ipsi figmentorum inuentores Poëtæ, simili modo vsi fuere, tametsi enim quandoque per partem eamque præcipuam Synecdochικῶς totum idque continuum significauerint; quod tamen vice versa quodlibet totum, etiam discretum pro vna tantum sui particula significanda ponatur, ita vt pro numero solum quaternario hominum, verè ponatur centenarius, & pro vno tantum Opusculo alicuius Doctoris, omnia eius opera, nemini vnquam nisi falso vel fallaci in mentem venit. Ecquis namque tam mentis & frontis inops est qui ab hæresi liberare audebit asserentem omnes Apostolos Christi fuisse sui domini proditores & damnatos ad Tartara, quia figuratiue hoc verum est accipiendo totum numerum duodenarium Apostolorum pro vno Iuda? aut qui à mendacio liberabit Historicum narrantem totum exercitum in prælio occubuisse, cuius tres tantùm milites periere. Sic sane posses affirmare totum esse minus sua parte, sex esse semel tria, &c. sic etiam totam Theologiam D. Thomæ esse falsam & reprobatam si aliquot eius propositiones tales sunt; sicque tandem nil esset tam à veritate absonum quod simili veritatis fuco phalerari non posset. *Glossa synecdochica aduersarij omnes fere errores saluat.*
Deinde etsi te (glossator benignissime) qui Poëseos nobis candidatum temet iactitas, isthæc fictio Poëtica vt cumque iuuare queat, cum pictores atque Poëtæ quodlibet audendi potestatem sibi vsurpent; non tamen video quo titulo, Bzouio, quem Mineruam tuam & Ecclesiæ Historicum semisopitus somnias, hæc Poëtarum fabulamenta prodesse valeant, nisi quod eius

Historiam fabulam esse vel certè instar fabulæ sese habere non diffitearis in hoc quod relatis Scoti omnibus operibus asseruit, quendam illis defamatoriis versibus tanquam titulari minio, illa in frontispicio prænotasse, cum tamen & ipse & tu vel inuiti fateamini nulli alij Scoti operi illos præponi quàm fragmento cuiusdam sui Opusculi in ad Roman. cuius nec Bzouius mentionem fecit; imo nec de facto huic etiam prępositos, sed congruè præponendos ab hoc aduersario iudicatos fuisse. Vnde de potentia ad actum, de toto ad partem, de vno tantum ad multa per tam mysticam figuram tuo Marte & arte fabrefactam consequentiam vere & licite deduci posse interpretaris. Sane si S. Inquisitionis tribunal tales admitteret propositionum censores, non paucos (mi clementissime interpretator) Lutheros transire impunes pateretur.

X. Author Apologiæ in cap. 4. eiusdem exagitat Bzouium quod ex anonimo adduxerit illa infamia carmina in Scotum, probans id libelli famosi specimine non carere, adducensque cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, quædam carmina quæ alij tacito eorum nomine, in Bzouium cecinere; quæ cum eius vindex, viderit nec impugnare conatus fuerit, eorum veritatem non inficiari videtur iuxta Regulam. Qui tacet. de Reg. iur. 6. Eodem cap. 4. Ostenso prius id sibi licuisse, adduxit contra eundem Bzouium Epitheta quibus eum ornabat amplissimus D. Hervvartus Cancellarius Bauariæ, ad quæ obmutuit vindex quia loqui non potuit; et sunt sequentia.

Epitheta Bzouij per Hervvartũ.

Histrio, & Historicus calami mentisque nec æquæ.
Ambitiosus, iners, ambiguusque fide:
Natus ad errãdum, mordax, temerarius, audax,
Inconstans, præceps, turbidus, atque leuis;
Affectus, lex est, non ius; ratioque voluntas;
Quod probat ista probas, quod negat ista negas
Purpura mitra, pedum, tua sunt suspiria Bzoui
Vis plura? HerVVartus talia mille dabit.

Ibi citauit loca apud Hervvartum vbi hæc & plura reperiuntur.

Cap. 5. Apologiæ author eius conuicit Bzouium de fraude commissa in suppressione nominis Senensis, vt lectori imponeret; duo enim futura conditionata præuidebat licet forte conditionalem scientiam ipsi Deo neget si illud exprimeret; alterum, lectorem non adhibiturum idem testi suspecto, qualis est Senensis in Scotum: alterum autem, manifestanda fore primo intuitu mendacia quæ superaddidit ipse de suo ultra ea quæ Senensis habet si hic suo nomine citaretur; tria enim, & non officiosa mendacia, Bzouio excidisse, ostendit ad oculum Author Apolog. eius cap. 5. relato; à quorum neutro ipsum liberat suus vindex, nec potuit quidem, neque conatus est, quantumuis in arte glossandi dexter appareat, præter vnum illud iam dictum quod à simili fieri posse probans, vnum figmentum historicum Bzouij, alio Poëtico

Senensis nũc citatus antea mala fide à Bzouio tacitus.

Iansenij excusauit: cætera autem duo surda aure transiens, absurda & falsa esse non it inficias & consequenter consentit secundum Regulam. Qui tacet sæpius allegatam: imo nec in nupera editione Coloniensi operum Bzouij aliquid video quo his respondeatur. Tantum cerno Senensem in margine citari quem antea in sui confusionem occuluit, & modo coactus detegit.

Pag. 35. *Si vrgeat neque quidem à Senensi, esse subscriptum (illud carmen) dico &* Bzouium *ita putare si actu intelligit, subscripsisse nihilominus dici potest, qui mente vel tacitus subscripsit.*

Fecisse aliquem quod tantum ei in mentem venit, mendacium.

Itane? vt absolute asseratur, & in Historia Ecclesiastica (illum enim honoris titulum apud Bzouistam obtinuit Historia Bzouiana) inferatur infame carmen præfixum à quodam operibus Scoti, sufficiet Bzouium illud putasse? in huiusmodi rebus putare non est sapientis, & certe absolute asserere, quod imaginari tantum couijciendo poterat prorsus insipientis: Bzouius ergo tantum se illud putare expressisset, & pauciores post ipsius errorem decepti abiuissent, non asseruisset absolute, quod nec à quoquam probato teste vel scriptore excepit. Annon Historici, & maxime Ecclesiastici muneris est nihil scribere, nihil affirmare, nihil determinare, nisi quod antea diligēter examinatum, præuisum, præelectum est? Non tam ingenij subtilitate & iudicij acrimonia, quam legendi, colligendique sedulitate Historiæ veritas eruenda. Sed quid hic tamdiu moror? *Bzouius sic putauit.* Quid vltra requiro? O quanta viri authoritas quanta poten-

da! ipse dixit, & factum est, ipse putauit, & pro-batum est. Ita planè: *Subscripsisse, dici potest, qui vel mentetacitus subscripsit.* Nimirum qui Episco-patum, Cardinalatum desiderat, Episcopus & Cardinalis dici potest: qui tacitus absolui opta-uit, absolutus censeri debet? quidni? *Voluntas reputatur pro facto.* Verum id quidem in merito, & demerito non autē in his, & similibus rebus, alioquin tu ad tuum mordacissimum libellum plura iam dudum responsa vidisses, quia id plu-ribus in mentem venit, hoc forte sensu tu caput . quo interpres Bzouium de fraude malitia, & tribus mendaciis conuicit, quod omisisti, posui-sti, quia mente ponere voluisti, sed voluntate in-efficaci quia respondere non potuisti. *Voluntas reputatur pro facto, explicatur.*

EXAMEN

Capitis VI. & VII.

ADDVCIT Scoti vindex cap. 6. censuram cuiusdam S. R.E. Cardinalis contra Epigramma à Bzo-uio in Scotum appositum, quam asseruit mitiorem esse, quam Bzouius mereatur, ideo maxime quia eius men-cia, & fraudes non detexit. Eum Bzouista in malignum torquet sensum quasi intēderet præ-fato Cardinali inscitiæ notam adscribere, eius-que verba sic transfert. *Quasi dicat, non est is tam* *Pag. 36.* 1.

acuto ingenio, vt hoc potuerit aduertere. Hæc glossa tua ordinaria quæ textui semper contraria, & à mente authoris aliena, nullum verum sensum, nec mysticum, nec literalem elicit. Nunquid hoc glossandi genere concludes si Thomistæ aliquid inuenerunt, quod non detexit D. Thomas, eum non fuisse tam acuto ingenio, vt id potuerit aduertere? vel si ipse D. Thomas adinuenit multa quæ sanctus Augustinus, & alij Patres non tractarunt, eos omnes non fuisse tam acuto ingenio vt ea aduertere potuerint. Certè si talib' paraphrasticis glossis nobis exponeres scripturas, meritò verendum esset ne inextricabiles errores quos falsò Bzouius Scoto tribuit, tu verè nobis relinqueres.

Ead. pag. *Ego affirmo virum hunc* (Cardinalem) *aliud iudicasse, aliud interpretem: mecum scilicet fuisse opinatum, ea quæ ille audacter vocat mendacia, re vera non esse.* Si non iudicauit cum interprete, mendacia esse, sed vera; quare censurauit propositionem Bzouianam maledicam esse & iniuriosam? Nonne vides tuo te captum laqueo?

Infamia carmina à Bzouio operibus Scoti præfixa falsa dicũtur.

Pergit, Epigramma Bzouianum glossare suo more: quod tamen vt plenius percipiatur quàm defamatorium sit, hic integrum subiungere lubuit, cuius ille aliquot partes callide omisit, ne eius turpitudo penitus pateret. Et sic se habet

Pag. 37. 38

Hic labor ille domus, & inextrincabilis error,
Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque

Mille vijs habuisse dolum, quo signa sequendi
Falleret indeprensus & irremeabilis error.

Hieronymus vt ostendit Interpres ista præfixit cuidam visioni Ezechielis comparans Prophetiam eius totamque scripturam Labyrintho si quis suis viribus arrogaret certam eius notitiam sibi comparare; non tamen esse Labyrinthum his qui diuina gratia freti & SS. PP. vestigiis innitentes veritatem humiliter indagant. In primo sensu in quo verè locutus fuit Hieronymus, ostendit Interpres omnem scripturam omnemque Theologiam, siue sit Scoti siue D. Thomæ, siue alterius cuiuscunque, esse Labyrintum: Hunc autem verum D. Hieronymi sensum ab ipso explicatum, Bzouium siluisse & absolutè dixisse Scoti opera esse errorem & Labyrinthum, quod maledicum est & iniuriosum. 11.

Adhæc respondes Bzouista per errorum Labyrinthum intelligi à Bzouio obscuritatem Scoti, non errores. Dixi te ineptum Glossatorem, nunc liberum pariter & ineptum vere dixero, per errorem enim intelligi vis obscuritatem, ergo vbi obscuritas ibi & error. Omnino, quid absurdi? Sacram Scripturam in multis omnes testantur, & res ipsa loquitur, obscurissimam: ergo erraticam labyrinthicam dicemus. Vides modo quid absurdi? porro quid offensæ Inquisitorum in huiusmodi glossatores censuræ declarant. Putas quod impietate non caret, debitis impietati pœnis apud ipsos careret? consequenter illud ex tuis præmissis euidenter deductum impium est, & impietatis pœna puniendum. Et antecedens ex quo illud se-

Inepte per errorem exponitur obscuritas.

quitur, impune pertransibit? D. Thomas in multis (vt ex Thomistarum in eo exponendo contentione, & pugna euidenter colligitur) obscurus est, Aristoteles obscurior, ergo ambo erronei, labyrinthici; asserat hoc quispiam, & quot ipsi calamus tuus pœnas, quot censuras intorquebit? ad quot eum iudices, ad quot tribunalia appellabis? quoties hæreticum, quoties blasphemum vocitabis? Vides quo te labyrintho, & errore intricasti, dum labyrinthi errores tollere fategisti, vt errorem tolleres sustulisti lucem, posuisti tenebras, & facta est nox, & putas in tenebris ambulans inuenies viam, & non errabis in nocte? Si putas inepte putas. Dum ergo labyrinthi tricas declinas in eius in extrincabilem in curris obscuritatem

Incidit in Syllam cupiens vitare Charibdim.

III. Adhibeamus ergo lucem illam tuam, qua pateat tua tenebrosa obscuritas nulla glossa interlineari, ordinaria, vel extraordinaria sana glossabilis, qua certe luce non ad viam, sed ad deuia traheris, dum ais

Pag. 38. *Aduertendum per errorem non intelligi errorem in fide (prout Theologi plerique errorem accipiunt) sed humanum, sed diuagationes per ambages.*

Verba debent iuxta subiectam materiam intelligi; cum ergo opera Scoti etiam Theologica vocentur inextricabilis error, Theologice id intelligendum venit de errore in fide. Scotus qui carpitur Theologus, Bzouius qui carpit Theologus, & opera Scoti quæ carpit, Theologica fere omnia sunt: ergo cum fatearis ipse errorem à Theologis accipi pro errore fidei, error is quem

Bzouius Scoti operibus tribuit in fide est, & non humanus. Procul dubio quicunque præfigeret operibus D. Thomæ carmen quo vocaret illa errorem inextricabilem, per te non excusaretur quod de errore in fide intelligendus non esset, & glossantem de errore humano irrideres quin etiam propositionem qua id assereretur grauiori censura quam maledicæ & iniuriosæ sine dubio notares: Nec temere crederem asertorem à te tuisque propositionem hæreseos accusatum iri. Quis quæso errores tuos si quos commisisti in Grammaticalibus ssereret esse fidei? qua ergo potiori ratione asseris errores commissos in rebus fidei & diuinis, humanos esse, non fidei? Perinde sane est ac si errores commissos in Mathematicalibus diceres Logicales; aut in Logica, Phisicos; maiori temeritate Christiana dogmata glossas, esse opiniones disputabiles, quod postea penitius inspiciemus. Moneo amice, caueas à periculosa glossandi libertate, ne in glossabili irretiaris perplexitate. Velis nolis vera est censura Illustrissimi & sapientissimi Cardinalis, de propositione Bzouiana in Scotum, esse nimirum maledicam & iniuriosam. *Per errorem in theologia inepte intelligitur error humanus.*

Notandus est locus ad quem Hieronymus peruenerat. Statera iusta, & ephi iustum, & Batus iustus erit vobis. Hugo Cardinalis ait, eum agere contra illos, qui alios vituperare volunt, & alienum vituperium sustinere nolunt. Arguitur Pharisæorum zelus. Mox. *Simulator es ô Pharisæe* infœlix, *pellis tibi leonina, sed aures asininæ.* Hæc modestia nostri Bzouistæ; hæc religiosa Vrbanitas! antea vocauit authorem Apologiæ caballum & suem, nunc Pag. 39. IIII.

ipſum & in malo, aſino & leoni aſſimilat, vocatque ſimulatorem, verſipellem, Phariſæum: & tamen abhorrere ſe teſtatur quod vllum ſibi cōuicium excidat, imo quod vel apparenter excidere videatur. Iudicet æquus lector ſi ipſi propriè nomen Phariſæi competat, qui atrocia iaciens conuicia tam modeſtum ſeſe nobis exhibere ſatagit, vt vel vmbram quidem conuiciorum auerſari videatur. Cum tamen animum ad calumnias ſcribendas non appulerim neque ad eas, alijs ſimilibus repellendas; ſufficit eas oſtendam æquo iudici qui cenſeat vter immodeſtiæ & intolerabilis petulantiæ damnandus ſit. Ad rem, de qua lis exorta fuit, prorſus erat impertinēs ad quem locum Prophetæ peruenerit Hieron. cum carmen illud iam dictum in vero ſenſu ab ipſo explicato, adduxiſſet; tantùm enim agebatur an in alio falſo & iniurioſo ſenſu vſurpatum fuerit à Bzouio contra Scotum: Verum quia modeſtus noſter Bzouiſta forte fortuna Phariſæorum ibi mentionem fieri vidit, quibus inter alia horrenda Scoti vindicem comparare imo identificare æſtuabat, ſtatim licet importunè, tamen auidè, anſam arripuit conuiciandi virum grauem pietate & literis celebrem Phariſæis annumerās. *Qui*, inquit, *cæteros peccatores maledictis perſtringunt, & ipſi in ſordibus, & craſſa peccatorum fuligine volutantur.* Tam longe à propoſitæ quæſtionis meta cucurriſti pro tua modeſtia, vt talem virum vocares Phariſæum, *in ſordibus & craſſa peccatorum fuligine volutatum? Introducti ſumus vt deuoluat in nos calumniam.* Geneſ. 43. *Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam.* Prou. 12.

Iniurioſe vocat aduerſarius interpretem, peccatorē, leoninum, aſininum.

:t tamen abhorret ab omni eo quod vel ſpeciẽ onuicij habere apparet, ſi ſibi credimus; & nos onuiciatores proclamabimur ſi iſthæc conui-ia eſſe dicamus; quæ tamen apud ſuum autho-em tali frui videbuntur priuilegio quod laudes ſſe & encomia interpretabuntur. *Væ qui dicitis onum malum, & malum bonum.*

EXAMEN

Capitis VII. & VIII.

CAp. 7. nihil fere tractat, ſed om-nia remittit ad cap. 10. vbi ea exa-minabimus; in fine ait. *Quam ele-gans eſt hic* (interpres) *in conuicijs! plauſtra pleniſsima. Non eſt perditu-rus oleum & operam quiſquis tyro-ibus Grammaticæ ex hac Apologia conuiciandi & ıaledicendi formulas concinnarit.* Non tamen liud conuicium in medium adducere potuit, uam quod Bzouio dictum ſit: *Scotum conuicijs enigrare & iniurijs laceſſere voluiſti; pacem turba-', & amicitiam violare, quantum in te fuit, tentaſti.* n conuiciorum plauſtra pleniſſima! en Apolo-ia ex qua pro Grammaticis tyronibus Ianſenia-æ ſcholæ, maledicendi & conuiciandi formulæ oncinnari poſſunt! Vtinam alias horrendas ca-ımniãdi formulas non didiciſſes in tuum ipſius edecus & aliorum ſcandalum. Plauſtra pleniſ-

V. Pag. 41.

ſima conuiciorum profert Scoti vindex, quia eum impoſitis iniuriarum plauſtris leuat & exonerat, quia Bzouio ſua improperat, eum de fraudibus & mendaciis tam efficaciter conuincens vt nec à te nec ab ipſo liberari valeat, quin proprio pondere preſſus, peſſum eat.

Pag. 41. V I. Coarguit vindex Bzouiũ hic quod iniquè omiſerit viginti quinque circiter vel plurium grauiũ authorum (quos magna ex parte cap. 5. Vitæ Scoti adduxit) præclara de Scoto elogia, & cõtra omnem æquitatem, infame teſtimonium Iouij de ipſo, ſuis annalibus inſeruerit, cum tamen Iouius malæ fidei in hiſtoria fuerit, ad gratiam ſe dans & auram, vt oſtendit interpres, ex Lypſio, Poſſeuino, Oſſorio, Roberto Turnerio, Bartolucio, Scaligero, Rodulphio, Gregorio Ruys, Georgio Hervvarto, & alijs. Oſtendit etiam peccaſſe Bzouium contra primam regulam boni Hiſtorici, bene explicatam à Cano lib. 11. de locis cap. 6. Quæ deſumitur ex probitate ſcribentium, eorumque integritate; cum, omiſſa multitudine celeberrimorum ſcriptorum, Scotum laudibus extollentium, vnum Iouium malæ fidei ſcriptorem, in ipſum iniquum, ſequutus fuerit: & contra illud Plutarchi de malignit. Herodo. *Ingenij in Hiſtoria parum æqui, ſignum, cum duo vel plures de vna re ſermones feruntur, deteriora amplecti.* Ad hæc Bzouiſta noſter dormit, alto ſilentio ſimulans nihil eſſe reſponſione dignum. Ego lectorem appello, iudicet Bzouium de mala fide conuictum, & eius defenſorem iniquum & ineptum.

Iouius malæ fidei in Hiſtor.

Bzouius peccat cõtra regulã boni Hiſtorici.

VII. Bzouius. *Nemo eorum qui non inſano Chriſtianæ*

pietatis amore flagrantes, vltro se cœnobijs in seruitutem addixerunt, Ioanne Scoto in studijs acrior aut subtilior fuit. Reprehendit interpres illud epitheton, *insano*, appositum amori Christiano pietatis, qua flagrant ingrediētes religionem, quod pietatem non spiret; quia cum Epitheton hoc discretionis causa ponitur, indicat amorem istũ Christianę pietatis, quandoq; insanum esse. Respondet subtilissime Bzouista, sua glossa ordinaria: *Comparat (Bzouius) amorem Christianæ pietatis, cum amore humano, quorum hic plerumque insanus est, & sic ruit cauillatio.* Sed certe crassa est hęc subtilitas. Amor Christianæ pietatis ingredientium religionum, est id quod hic determinatur, & sine vllo addito per se discernitur ab amore mundano; Epitheton ergo adueniens, *non insano*, ab aliquo alio sub eodem determinabili, contēto discernit & separarat illud, cui additur; sicut rationale aduenieēs animali discernit illud, nõ ab insensibili, à quo iam discretũ est, sed ab aliis sub animali contentis, nimirum à brutis: admittitur ergo, sub amore Christianæ pietatis, quo flagrant ingredientes religionem, quem discernit epithetum, *non insanus*, aliquem contineri amorem, qui non sit non insanus; ergo insanus: Quod asserere (vt intulit interpres) non video quomodo pietatem spiret. Exemplis res clarescet: si quis ita diceret, nemo eorum, qui non immodesto carpendi desiderio, scripserunt, æquior est Ioanne; aliquos immodesto carpendi desiderio scripsisse, denotaret, inter quos, & Ioannem, nullam faceret comparationem; Vel sic: Nemo Thomistarum. qui non arroganter

Bzonius indicat amorẽ Christianæ pietatis, quã doq; insanũ esse.

VIII.

ſcripſerunt, Scotum & Scotiſtas iniuriis affi-ciunt, ſuponeret Thomiſtarum nonneminem arroganter ſcripſiſſe, quem à Scoti, & Scotiſtarum iniurijs non excuſaret. Vel ſi mauis, ſic: qui diceret, nemo Grammatiſtarum qui non temerarie ſcripſerunt, Theologos, & in Theologicis, aggreditur, & cenſurat: Grammatiſtarum aliquem temerarie ſcripſiſſe ſubindicaret, quem à Theologorum aggreſſu & cenſura non excuſaret. Qui ergo aſſerit, *nemo eorum qui non inſano Chriſtianæ pietatis amore, ſe religionibus addixerũt, acrior & ſubtilior Ioanne Scoto,* ſupponit aliquos inſano amore Chriſtianæ pietatis religionibus ſe addicere; quod interpres, ſatis modeſte, dixit, non ſpirare pietatem: Poſſet enim, vere dicere, ſonare impietatem. Quid quæſo magis tale, quam, amorem Chriſtianum & pium, ingreſſus perfectionis Chriſtianæ ſtatus, ſubindicare, aliquando eſſe inſanum? Sed plus æquo hæreo, in refutando tam manifeſto abſurdo; ſatis oſtendit Bzouiſta quam parum calleat Logicam, cum ſimiles propoſitiones non capiat. Non ruit ergo cauillatio, quia nulla fuit, ſed ſtat argumẽtatio, & confirmata manet Bzouij redargutio; & ruit, ex ignorantia Logicæ, deprõpta ſolutio.

Pag.45. Reprehendit Bzouiſta interpretem, quod Caledoniam poſuerit in tractu terræ Hiberniæ propinquo. *Quia*, inquit, *ibi eſt anguſtior tellus quam vt tot ſolitudines complectatur.* Sed tãtum dixit interpres, *Caledonia, Argatheliam, & vicina loca complectens, &c.* cum quo ſtat, quod alia loca complectatur. Hæc autem nominatim poſuit, quia Hiberniæ vicina. At (inquit) quot legi

Caledoniam appropinquare Hiberniæ.

Coſmo-

Cosmographi ponunt Caledoniam, per mediam Scotiam excurrere in Septentrionem. Ignotum probat per ignotius. Quis enim nouit præter ipsum, an aliquem Cosmographum de hac re viderit! Demus gratis ita excurrere, non stat talis excursus longe lateque diffusus, quin Hibernico tractui appropinquet. Citauit interpres Camdenum pro se, & Camdenus Florum; quos sub silentio transit Bzouista, armatus, quoquot vidit Cosmographis: Hoc est forte, solus incedens. Certe Ortelius, Mercator, Opmerus, Munsterus nihil tale habent. Et cum his alios Cosmographos consentire dubium vix esse potest. Sed neque Lesleus, neque Boetius, quibus cordi fuit res Scoticas exactissime describere, tibi suffragantur. Bucananus, de hoc lib. 2. fol. 59. Sic habet: *Quod si vocem inspiciamus, ea linguæ Scotica est; Calden enim Scotis ea arbor est, quæ Latinis, Corilus; unde Caledoniæ siluæ nomen reor indictum, & Caledoniorum oppidum, ad Taum amnem situm, Duncaleden adhuc vocatur*, I. *Corilorum tumulus*. Quam paucis miliaribus (forte 6. vel 7. Belgicis) dictum oppidum, amnisque, ab Argathelia, Hyberniæ propinqua, distent; tu Bzouista ex tabulis Ortelij & Mercatoris, scire, poteras; nos sensu cernimus. Hæc si aduertisses non tam crasse rem ignorares, vt Caledoniam, sine vllo teste vel ratione, 140. miliaribus ab Hibernia distare scriberes. Sed veritatis penuria, non veritatis sed victoriæ auidos, falsa falsis, & ficta fictis, comprobare, instruxit.

Vt probet Docto. subtilem non esse Hybernum, adducit primo argumenta, quibus id suasit X. pag. 44.

F

interpres, ſed ſolita mala fide. *Primũ*, inquit, *ſumitur à ciuitate Dun Hiberniæ, & Hibernis maiorum traditione hoc aſſerentibus.* Sed falſum eſt à ciuitate Dun vllum argumentum ad hunc finem, adductum eſſe. Primum adductum eſt à traditione Hibernorum maxime tractus Dunſij incolarum: opponit ille Scotos, quorum neminem citat. Tres ponit in Scotia, ciuitates, nomine Dun, & in ea, quæ non procul Sterlinge diſtat, à parte meridionali, *forte*, inquit, *natus eſt Scotus, & hæc non longe diſtat à Caledonia.* Caute, vſus eſt, particula *forte*; ego abſolute aſſero, ſine particula dubitatiua nullam in Scotia ciuitatem eſſe nomine Dun. Præfati Coſmographi, nullam ibi hoc nomine ponunt, Ptolomeus vnam hoc nomine in Hibernia, nullam in Scotia, collocat. Idem facit Neubricenſis in ſuo Dictionario de nominibus ciuitatum. Boetius in deſcriptione Scotiæ non meminit, talis ciuitatis, neque Leſleus, neque Bucananus, in eadem deſcriptione: Et hic tamen ponit omnes ciuitates quæ hoc nomine vocantur incipiunt vel deſinunt per Vnierſam Europam, & inter eas illam Hybernicam. Omnes iſti nullam ciuitatem nomine Dun in Scotia reperiunt, quorum tamen tres Scoti ſunt ſcriptores, & Scotię, eiuſq; ciuitatum deſcriptores: & noſter Bzouiſta, lynceis oculis, tres in ea adinuenit, eo nomine, ciuitates: ſed adinuenit non in Scotia vera, ſed in ſui capitis imaginaria.

Traditione Dunſium, eſſe Hibernũ.

Pag. 44. x 1. *Alterum argumentum quo Scotus Hibernus aſſeritur, conſtat authoritate Richardi Stanhurſti profeſſoris olim Oxonienſis, P. Ricardi Conuei, Mauritij de portu Archiepiſcopi Tuamenſis & pauli Amal-*

thei. Sed hi omnes vno dempto Hyberni sunt, & eodem tecum affectu. Quibus quæso in rebus Hybernicis credendum nisi Hybernis? Quibus in rebus Belgicis nisi Belgis? Non erit ergo credendum, à sancto Antonino, vtrique Senensi, Bzouio, in rebus ordinis Prædicatorij; sed nec vllis, ordinum, aut Prouinciarum Cronicis, quia à bene affectis, vel Prouinciarum, ordinũ-ue membris, scribuntur. Mitto alia absurda. Affectus non excludit testes, alias fide dignos. Archiepiscopus ille doctissimus, in Scoti doctrina versatissimus, in Oxioniensi Vniuersitate, qua Scotus docuit, & sequenti post ipsum sæculo, educatus, fide dignissimus est: Neque enim tantus vir Scotum Hybernum asserere auderet, nisi, id opinioni dictæ Vniuersitatis conforme esse iudicasset. Dominus Stanhurstus, vir pius & eruditus, qui professor in eadem Vniuersitate extitit, pro suo candore & honore, Hibernum non assereret, quem ipsa alterius esse nationis, teneret. P. Cõueus, omni fide dignus, integerrimus, nullo suspicionis titulo reijciendus. Amalthæus, Hybernus non est: non ergo recusandus. Si dicas æque bene Scotis in rebus Scotiæ credendum: At tu nullum Scoticum scriptorem adducis; etsi adduxisses, cætera hic non sunt paria, vt in sequentibus videre est. Illis adiungo Philippum Sulleuanum, in sua Historia Ecclesiestica 15. ann. idem asserentem. Addo alios testes non Hybernos; Author tractatus cui titulus: *Discours veritable de ce qui s'est passé en la reforme du grand Conuent de Paris* numerans illustres alienigenas qui in dicto Conuentu floruerunt, Scotum ponit ex

Grauissimi authores; scotum astruunt Hybernum.

Extranei scriptores Scotum asserunt natione Hybernũ.

XII.

Hybernia, Bonauenturam, ex Italia, Alensem ex Anglia, &c. Idem facit Author libri intitulati: *Responſe à la Remonſtrance donnee au Roy, en faueur des zelateurs de la Reformation.* Eruditissimus D. Vernulæus in Academia Louan. eloquẽtiæ professor celeberrimus, Panegeryco de eodẽ Doctore subtili, id non semel asserit & repetit. Consentit tractatus intitulatus relatio de rebus Hyberniæ, Hispanice editus Hispali apud....

Aduersarius mala simulat argumẽta interpretis.

Dixi malafide referri argumenta interpretis à Bzouista, omisit authoritatem Cronici antiqui trium regnorum Anglico idiomate conscripti, quo reprehenduntur scriptores Scoti, quod Columbanum, Ioannem Duns, & alios, quia Scoti vocantur sibi ascribunt, cum tamen sint vere Hyberni. Hoc omnium maxime vrsit interpres, & ideo ad illud tacuit aduersarius, quia loqui nequiuit. Aliud argumentum, eadem fraude omissum, est huiusmodi. Tempore Scoti circa ann. 1299. Edvvardus 1. Rex Angliæ subiugata Scotia, quotquot erant in ea viri eruditione clari, in Angliam relegauit. *Verebatur* (inquit Bzouius ad dictum ann. ex Boetio) *ne illorum doctrina effecti sapientiores, Scoti, iugum reijcerent.* Hinc intulit, si Doctor subtilis Scotus esset natione, præfatum Regem Scotorum doctrinam extinctum iri, satagentem, minime permissurum, vt in celeberrima Oxoniensi Academia, celeberrimum ageret professorem, & sententiarum interpretem. Adiunxit, nullos viros celebres accepisse, Scotos ex dicta Vniuersitate, Hybernos autem excepisse plurimos, quos ibi numerauit. Id forte contigit, quod Scoti continuò cum An-

Angli relegant viros doctos scotiæ vt scotorum extinguant doctrinam.

glis bellabant, & Hibernia, olim Angliæ(teste Beda ibi citato) amicissima, magna ex parte à tempore Scoti,& exinde eidem fuit subiecta.

XIII. *Hibernia plures viros insignes ex Academia Oxionensi accepit, Scotia non.*

Addidit Scotum 7. Metaph. Com. 17. explicando diffinitionem accidentis copulati, voluisse in ea ponendum esse subiectum: *Sicut* (inquit Scotus) *in diffinitione sancti Francisci, ac sancti Patricij ponitur homo.* Si natione, Scotus esset, non Hiberniæ, sed Scoticæ patronum nationis, iunxisset patrono professionis. Omisso ergo Patricio, sanctum Andream, vel Columbam, cum Francisco conuingeret. Subiunxit, ex fide dignissimo Testimonio, Hibernos excellentioris ingenij,capaces esse Collegij Mertonensis in præfata Academia, in quo Scotus socium egit, ad quod etiam tempore Elezabethæ Reginæ, hoc titulo admissus est, D. Dauid Delahoyd Hybernus, post sacræ Theologiæ Doctor, effectus: nullus tamen Scotus, eo vnquam admissus est, vel admitti potuit, lege omnes extraneos excludente,præter Hibernos,præclarioris ingenij,seu, vt vocant, lineales.

Scotus in exemplũ adducit patricium & Frãciscum, nationis & professionis patronos.

Hæc fusius ab interprete,tractata, c.1.& 2. Vitæ Scoti, omisit fraudulenter Bzouista, indicans tamen, se recitasse omnia quibus ille Doctorem subtilem, contendit esse Hybernum.

XIIII. *Ex vulgaris lingua verbũ, colligitur cuius sit scriptor nationis.*

Ridiculum est iudicare Scotum esse Hybernum, ex eo quod scriptis suis quædam admisceat vocabula Hibernica. Probat, quia ex Ortelio, Scoti qui cis Grampium montem inhabitant, Angliçè; qui vero versus Septentrionem,Hybernicè loquuntur. Hic triumphat, & irridet, argumentum quo ex vocabulis Hybernicis, concluditur Dunsium

non esse Scotum. Respondeo, morale esse argumentum non demonstratiuum: & indisciplinati ingenij est in omnibus quærere demonstrationem, 4. Met. tex. Com. 9. Sed audi Bzouista, & videbis argumentum non esse ridiculum, sed te, tui illaqueatorem. Asseris hic Scotos Meridionales, Anglicè loqui, & pa. 44. etsi fictitie, sine vllo teste, ponis Scotum ad meridiem ortum, & nominatim prope Sterlingum, vbi, constat nullum esse Hybernici idiomatis vsum, sicut nec in vicinis partibus. Bene ergo infertur, si Scotus miscet vocabula Hybernica suis scriptis, & non asseritur ab vllo natus in illa Scotiæ parte quæ Hibernice loquitur; Hybernus censendus est. Sed ne diceturvim argumenti oriri ex tuo errore, qui nescis vbi ipsi Scoti, Doctorem subt. natum astruunt, sed ex tuo capite, locum natiuitatis ei fingis prope Sterlingum, adduco Lesleum, de orig. & gest. Scotorum ad initium, vbi asserit eum prope Beruicum in quodam voco ortum. Beruicum autem situm est super Tuedam fluuium, quo Anglia à Scotia diuiditur, hic non minus ignotum idioma Hybernicum, quam in ipso Angliæ centro, bene ergo illatum est, ex vocabulis Hybernicis, Dunsium fuisse Hybernum, cum vbi ab illis asseritur in Scotia natus, nullus sit huius idiomatis vsus, neque quisquam eorum dixerit eum ad Septentrionem natum, vbi, Hybernice loquuntur incolæ. Solent enim, scriptores explicationis gratia, suæ linguæ, verba, suis libris miscere; vt videre est in scholasticis, & cōcionum authoribus. Vide Molinam de iust. Sancium de Matrim. Philippum Diez & alios, ideo ex huiusmodi verbis non ridicule colligitur, cu-

ius sit scriptor nationis.

Probat eum natione Scotum, ex ipso interprete, vt sibi videtur, qui adduxit Gonzagam, & alios asserentes de eo, *Scotia me genuit, Anglia me suscepit, &c.* XV.

Ostendit Scoti vindex cap. 2. vitæ eius, extraneos quosdam scriptores, ex æquiuoca vocis (*Scotus*) appellatione deceptos existimasse D. subtilem natione Scotum, quod ei nomen non à natione, sed à familia inditum est. Respondit etiam sumi Scotiam pro maiori, seu Hibernia, quæ olim istud sibi nomen vsurpabat vt ipse euidenter euicit ex Capgrauio, Alcuino, Cæsario Fulgosio, Bernardo, Beda, Henrico Fitzsimon, &c. quibus omnibus tu doctissime respondisti *non plus posse per Scotiam intelligi Hiberniam, quam per Franciam Germaniam.*

Hibernia olim Scotia dicta.

Has ego crassas ignorantiæ tuæ tenebras vt vel manibus palpare possis, adductis iam testibus (quibus nemo non contumax dissentiet) sequentium etiam fide dignissimorum authorum ex omnibus Europæ partibus testimonia produco, quibus nemo vnquam hactenus contradicere ausus fuit.

Isid. l. 4. orig. c. 6.
Oros. l. 1. c. 2.
Bed. l. 5. c. 14.
Egesip. de excid. Ierosol.
Ethici: de Hyb.

S. Isidor. *Scotia eadē & Hibernia, proxima Britanniæ insula.* Paulus Oriosius Presbyter *Hybernia à Scotorū gentibus colitur.* V. Beda *Hybernia propria Scotum patria est* Egesippus. *Tremuit hos Scotia, quæ terris nihil debet.* Quod nullo modo Scotiæ Albinæ competit vt notat Camdenus, ibi. Ethicius. *Hibernia à Scotorum gentibus colitur.* Tho-

Bos c.8. de sig. Eccl. c.1.

mas Bosius. *Tradunt in Scotia, quæ tunc erat Hibernia, Christi cultum disseminatum eodem tempore, quo in Britannia.* Et infra. *Non ita in Hibernia, in qua tunc Scoti degebant.* Phil. Villanus. *Andreas vir Dei ex insula fuit Hiberniæ, quæ alio nomine vulgatiori Scotia appellatur.* Vetustissimus codex de gestis S. Kiliani apud Serarium, *Scotia quæ & Hybernia dicitur.* Cui & ipse ibi addit. *Hibernia Scotiæ sibi nomen etiam vendicabat.* Et alibi. *Frequens est apud scriptores quosdam vt Scotiam pro Hibernia dicant.* Quod satis docte probat ex variis authoribus sancto Hieronymo, Iona Abbate, Strabone, Mariano Scoto, Cæsario, & aliis. Ioannes Molanus Doctor Louaniensis *Sanctus Rumoldus Scotorum Regis filius ex ea parte Scotiæ quæ Hybernia hodie dicitur.* Author vitæ sancti Columbani, inter opera Bedæ, *Hyberniam insulam Scoti incolunt.* Claudianus. *Incaluit Pictorum sanguine Thule, Scotorum cumulos fleuit glacialis Hiberne.* Idem habet expresse Camdenus passim in sua Corographia Georg. Buchanauus. *Scoti, omnes Hiberniæ habitatores initio vocabantur.* Petrus Canis. in vita S. Fridolini. *Quæ ad solem occidentem Scotia, vocatur Hibernia.* Gretserus de Bened. l. 1. c. 2. & 3. *Vetus Scotia, Hibernia ap-*

Villan. in vita S Andreæ.

Serar soc. Ies. in Annot. ad act. Kiliani.

Molan. in Annot. ad Vsuard. p. 19 & 20.

Claud. paneg. in 4 cōsul. Honorij.

Buccha. l. 2. hist. scoticarum p. 49. & 54.

P. Canis.

Gretserus.

pellatur. Gaufrid. in vita S. Vvironis, apud Sur. to. 4. *Scotia quæ & Hibernia dicitur fertilis Sanctorum insula, &c.* Chron. vniuersalis mundi ætate 6. fol. 132. S. Kilianus ep. in Francia Orientali hoc tempore claruit. *Is genere Scotus de nobilibus natus parentibus & Hibernia insula, siue Scotia facunda, clarissimus viris progrediens, cum ex ea Columbanus, Gallus, Burkardus & Kilianus, viri Illustres prodierunt.* Et infra. *Hi sancti Martyres totam Franciam Orientalem suis miraculis & sanctitate illustrant.* Capgr. de B. Columb. *B. Columbanus in Hyberniæ insula in Oceano sita, quam Scotorum gens inhabitat ortus est. Hibernia enim antiquitus Scotia dicta est, de qua gens Scotorum, Albaniam Britanniæ maiori proximam quæ ab euentu modo Scotia dicitur, inhabitans, originem duxit, & progreßum habuit.* Graufridus. Chron. mũdi. capgrau.

XVI. Omitto alios fere inumeros, Adamnanum, Theodorum, Theodoricum, Mauric. officia Ecclesia SS. Hyb. authorem vetustissimum vitæ S. Samsonis in Bibl. S. Mauri prope Parisios Gildam. Sap. Hund. Mercat. Sirmũdum. Cambren. Iocelin. Sulleuanum & alios mille quos hic prolixum foret & non necessarium citare.

Sufficiant tot testes, antiquitate, sanctitate, doctrina clarissimos ex omni gente cognitos, Græcos, Latinos, Hispanos, Germanos, Gallos, Belgas, Anglos, Scotos, pro tam comperta at-

que indubitata veritate protulisse. Hos inspice Ianseni, & disce *plus posse per Scotiam intelligi Hiberniam, quam per Franciam, Germaniam.*

XVII. Pag. 46. *Andreas Theuet Cosmographus Galliarum duas ait esse de patria Scoti sententias; Sanctissima ait natum in Scotia, altera in Anglia; Cæterum cum ostenderis c. I. vitæ Scoti nulla ratione esse Anglum, mihi Theuetum relinquis quem adducam pro Scotia.*

Theuet. Non citasti locum quia callide præuidisti tuam falsificationem propalandam; nam Theuet lib. 3. de viris Illustr. facit expresse Scotum natione *Pag.* 147. Anglum, licet Ioannem Maiorem referat asserentem eum natione Scotum; neque te pudet eum contra expressa sua verba pro te testem adducere. Sic Bzouius Sixtum Senensem, ex quo infamia carmina contra Scotum desumpsit, subticuit. Sed quia hic nobis de Theueto incidit sermo, placuit quæ in Scoti laudem scripsit in- *Theuet. p.* 144. serere. Sic habet. *Ipsorum* (D. Thomæ & Scoti) *discipuli, & sectatores disputare non cessant, nec adhuc data est sententia diffinitiua, vter est plus authorizatus, Scotus Doctor subtilis, vel* *Dubitat Theuet. vter excellat D. Thomas, an Scotus?* *Thomas Doctor Angelicus*? Et pag. 145. *Dum aliquem vocare cupimus, subtilem, disputatorem, ingeniosum, communiter Scotum nominamus.*

Vidi theses Louanij, publice defensas in quibus vir doctissimus Libertus Fraumond Ioannem Duns, Scotum esse contendebat. Si dis-

putationi illi adfuisti, candide veritatem fatere; si non adfuisti, crede ijs qui ibi interfuerunt. Illi certe referunt præfatum Doctissimum Dominum, attentis ijs quæ P. Cauellus tunc contra illam positionem adduxerat, in pleno auditorio, pro sua prudentia, & humilitate suam opinionẽ respuisse, asseruisseque in posterum se illam non tenturum. Neque ipse si eius rei adhuc memor est, hæc negabit.

Nicolaus Vernuleus Louanij eloquentiæ Professor, in triumpho Assumptæ Virginis D. subtilem ait Scotum. Pag. ead. XVIII.

Non est liber ille ad manum vt videam an sicut Theueto, ita & Vernuleo falsum imponas, habeo tamen mecum eiusdem eruditissimi, & clarissimi viri orationem Panegyricam de eodẽ Doctore subtili, hoc ipso anno 1622. Coloniæ editam in qua ita habet de Scoti patria differens. *Tuus vero est, ô Hybernia Scotus! quem tibi celeberrima, ac peruetusta vrbs tua Dun, tanquam æternæ gloriæ pignus quoddam, & ingeniorum omnium miraculum genuit.* Et paulo post. *Tuus est, ô Hybernia Scotus! qui in te vitæ principium accepit, tuos ciues parentes habuit, tuum solum, patriam agnoscit.* Non credam donec videro, virum doctissimum, & sibi in suis scriptis constantissimum, aliquid scripsisse quod cum hoc conciliari non possit; quod si scripsit, re melius postmodũ examinata, reuocauit, vel certe de Scotia maiori cum quibusdam alijs, est locutus. Ex his & alijs abinter-

Vernul. ait D. subt. esse Hybernum.

prete adductis, manifestum fit longe probabilius D. subtilem Hybernum esse, quam Scotum. Et quæ in contrarium adduxisti, non amore veritatis, sed vindictæ, & victoriæ studio, refutata, & in nihilum redacta, euanescunt. Sua, pro hac sententia, motiua protulit modeste interpres, non prohibens oppositum à quoquam teneri. ego certe si ab eius opinione in hoc discederem, non Scotum, sed Anglum assererem, quod id firmioribus rationibus inniti videam.

Pag. 47. XIX. Bzouista ait Scotum natum trans Grampium montem, *vbi lingua*, inquit, *est Hibernica, homines barbari, siluestres, asperi, ac duri. Sunt-ne* (inquit) *hi pares vecordissimis Schytis ingenij præstantia?* Nullus scriptor Scotus aut alterius cuiusuis nationis locum natalem Scoti ponit trãs Grampium, imo Lesleus illum prope Beruicum (quod est oppidum Angliæ proximũ) constituit. Ioan. item Maior ait natum octo millibus passuum ab Anglia. Cæterum quod ais *Scotos trans Grampium Barbaros, siluestres, & vecordissimis Schytis pares*, iniuriose pariter, & inscite dixisti; quod ego ipsis vindicandum relinquo. Interim tamen Gerardum Mercatorem, alias à te citatum, in suo Athlante tab. 1. de Scotia sic de ea scribentem, lege. *Ingenia Scotorum viuida sunt, excitata, ignea, sapientiæ capessendæ idonea.* Vbi inter alias laudes specialem de Scoti nostri ingenio, mentionem inducit. *Nihil est quod non superare potuerit ingenium Ioannis Duns Scoti.* Mox. *Nihil eo acutius, nihil accuratius, nihil absolutius.*

Laudes Scotorum.

XX. Contra id quod Bzouius asseruit patriam Scoti crassam esse, & excolendis ingenijs importunam,

adduxit interpres Cambrẽsem,& Iouium,quorum prior ait *Hyberniam terrarum omnium temperatißimam,aëris amœnitate,temperieque tempora fere cuncta virescere, aëris quoque clementiam tantam eße, vt nec nebula inficiens, nec spiritus pestilens, nec aura corrumpens ibi inueniatur.* Locum hunc truncate pro more suo adduxit Bzou. Posterior sic loquitur. *Hybernia par est Britanniæ, vel vbertate agri, vel pecoris fœcunditate,& quod ipsi Angli facile concedunt, tepore soli, cœli clementia, atque aëris serenitate, nobilior.* Præter hæc adduxit ex perantiquo authore vitæ sancti Kiliani, apud Canisium tom.4. Antiq. lec. hoc quod sequitur. *Scotia quæ & Hybernia, fœcunda quidem gleba, sed sanctißimis clarior viris.* Et Theodor.in vita S. Rumold. apud Sur. 1. Iul. *Insula sicut omni terrarum gleba fœcundior, ita sanctorum gloriosa simplicitate beatior.*

Hybernia cœli & soli fertilitas.

Hyber. sanctis clarißima.

Contra hoc Bzouista tanquam iuratus Hyberniæ hostis, adducit alium locum dicti Cambrensis (ex Ortelio quia Cambrensem non vidit) qui dicit *Hyberniam eße aquosam, paludosam, & montuosam, ita vt aquositas vix grana colligi permittat.* Multa præclara habet Ortelius ex Cambrẽsi in fauorem terræ nostræ, quæ Bzouista, discipulus vere Bzouianus, surda pertransijt aure, collectis illis tantum, quæ in Hyberniæ ignominiam proferri poterant,& hæc quia iniu-

Pag. 48. XXI.

riosa, reliquis adiunxit iniurijs. Locum non citat, neque ego subibo laborem totum Cambrẽsem peruoluendi vt rem examinem. Si ita habet Cambrens. sibi contradicit, quia loco citato & passim in tota topographia Hyberniæ mira de ipsa prædicat. dicto cap. 25. *Medicorum opera parum indiget insula, morbidos præter moribundos paucos inuenies.* Item. *Nemo vmquam hic natus, terram aëremq; salubrem non egressus, vlla trium febrium specie febricitauit; sola vexantur acuta, eaque perrarò.* & mox. *Nulla aeris turbulentia, nulla temporis intemperies, vel sanos & hilares hic contristat, vel etiam delicati capitis cerebrum turbat.* Et cap. 27: *Orientales pompas sola aeris nostri clementia compensamus. Secure sub dio, secure nudi in marmore dormimus; non auram vel algore penetrabilem, vel æstu periculosam, vel corruptione pestiferam, formidamus.* Et iterum *Terræ-motus hic nunquam, non hic tonitrua terrent, non fulmina feriunt, non cataractæ obruunt.* Et cap. 3. apud Stanihurstum in appendice. *Hybernia quasi peculiaris naturæ thesaurus, vbi insigniora, & pretiosiora sua reposuerit, esse videtur.* Et alibi. *Terra autem terrarum omnium temperatissima; nec Cancri calor exæstuans compellit ad vmbras, non ad focos Capricorni rigor inuitat. Aeris amœnitate temperieque tempora fere cuncta tepescũt.*

Hibernia laudes mirabiles ex varijs externis authoribus.

Cambr. in topogr.

Hybernia naturæ thesaurus, fertilis & temperata.

Gleba præpingui vberique fructum prouentu fœlix terra est, & fœcunda. Frugibus arua, pecore montes, nemora feris abundant. Pascuis & pratis melle & lacte diues est insula. Fluminibus egregijs scinditur & rigatur. Lacus quoque plurimos & pulcherrimos, piscosos, & grandes, præ alijs terris quas vidimus, hæc profert: Marinis piscibus per omnia latera satis adundat: Flumina vero lacusque suis sibique innatis piscibus fœcunda sunt. Accipitres, falcones, & nisos præ alijs regionibus, hæc copiose producit. Hæc ex Cambrensi ipso latius retuli vt eius cuius inniteris authoritate tanquam argumento ad hominem conuincaris vel ignorantiæ, vel malitiæ. Vt omnium verò suffragijs condemneris, ecce Ptolom. de trib. partib. orbis cap. 16. *Scotia eadem &* Hybernia*, Britanniæ proxima, spatio terrarum angustior, sed situ fœcundior.* V. Beda l. 1. Hist. Angl. c. 1. Postquam multum laudasset Britanniam, H*ybernia* (inquit) *& latitudine sui status, & salubritate, & serenitate aëris multum Britanniæ præstat.* Camdenus in descript. Hiberniæ *vt vno verbo dicam, siue terræ fœcunditatem, siue maris & portum opportunitatem, siue incolas respicias, qui bellicosi sunt, & ingeniosi, corporum lineamentis conspicui, mirifica carnis mollitie,*

Ptolomæus

V. Beda.

Camdenus

Laudes Hyberniæ ex varijs authoribus.

& propter musculorum teneritudinem agilitate incredibili; a multis dotibus fœlix est insula vt non male dixerit Gyraldus naturam hoc Zephiri regnum benigniori oculo respexisse : quod verò malè nonnũquã audiat, ab incolis est quod alicubi sint incultiores. Vide Ianseni, non plerosque Hyhernos (vt calumniosè asseris) incu'tos dici a Camdeno solertissimo indagatore rerum Hybernicarũ; sed aliquos tantũ, quales in omni fere prouincia .& regnis etiam cultissimis, reperire & digito monstrare possem. Sed audi paulisper Camdenum. *Pecorum*, inquit, *hic infinita multitudo, ouium greges plurimi, equi optimi, apum tanta multitudo vt non solum in aluearibus , sed etiam in arborum truncis & terræ cauernis reperiãtur.* Hæc & multo plura sat insignia encomia habet Camdenus de Hybernia, ad quam proprijs oculis perlustrandam peragrandamque penitius ex patria sua Anglia veniens, non parum laboris & molestiæ subiuit.

Mira fertilitas & temperies Hyberniæ.

Valaf. Strabo in Hyb.

Valafridus Strabo *Hybernia propior Britanniæ, spatio terrarum angustior ,sed cœli solisque temperie magis vtilis.* Munsterus Cosmograph. de Hyb. *Mira cœli temperies & fertilitas terræ insignis.*

Munst. cosmographus.

Bartholomæus Moronus Italus, in vita sancti Cataldi Hyberni Ducis Meltridis, Episcopi ac Patroni Tarentinæ Metropolis in Italia, vbi ante mille & quingentos circiter annos Verbum Dei seminauit, & maxima indies miraculorum celebratur frequentia & populi deuotione. *Fuit*, inquit, *Cataldus ex Hybernia oriundus ; quæ insula*

Ex vita S. Cataldi Hib. Tarent. Ap.

insula in occiduo mari trans Britanniam sita est: insula quidem Britannia, dimidia plus parte minor; sed par omnino ei vel vbertate agri, vel pecoris fœcunditate; atque etiam tepore soli, cœli clementia, & aëris sernitate nobilior. Hęc vita edita fuit eleganti carmine, & prosa per duos Moronos fratres ex vetustissimis Ecclesiæ Tarentinæ monumentis & officio S. Cataldi reformato per Card. Siretum, iussu summi Pontificis. Bucan. lib. 1. Rer. Scotic. pag. 2. *Cœlum* (Britanniæ) *Gallico temperatius, verum vtroque mitius est* Hy*bernicum.* & li. 2. pa. 54. *Est enim, vt ait Cæsar, cœlum Britannicum Gallico temperatius; Hybernicum autem solum, amænitate, & cælum temperamenti æquabilitate Britannicum superat.* Hēricus Archiad. Huntongdun lib. 1. Histor. Angl. *Hybernia post Britanniam omnium insularum optima est* Et infra. *Mirabili igitur dono Deus hanc ditauit insulam, multitudinemque sanctorum ad eius tuitionem in ea constituit; præterea lacte & melle ditauit, vinearumque non expertem venatu piscium, & volucrum, ceruorum, & caprearum insigniuit.* Multa similia omitto breuitati studens quę si legisset Bzouista, Hyberniam serenam & fertilem esse non negaret. Sed quia Cambrensi plus æquo inniteris quem non vidisti, audi ipsum iterum de Hibernia sic loquentem. *Sicut Orientales plagæ proprijs quibusdam & sibi innatis præcellunt ostentis, sic & Occi-*

XV. *Georg. Bucan. Scotus.* *Henr. Arch. Hunt.* *Camd. apud aut. analect. de Reb. Hib. fo. 63.*

Gemmis & mineral. diues Hyb.

dentales circunferentiæ ſuis naturæ miraculis illuſtrantur: quotieſcunque quippe tanquam ſerijs & veris fatigata negotijs, paululum ſecedit & excedit remotis in partibus, quaſi verecundis & occultis natura ludit exceſſibus. Hinc *& venas metallicas, argenti mineralia, ferrique fodinas, præcioſa marmora, Parios & Lydios lapides & nitentia alabaſtra, atque eximij pretij vniones Orientalibus haud multum diſpares, Chryſoelectrum ſeu Succinum, antimonij & aluminis venas, lapidis incombuſtibilis pellucidas bracteas (quas alij ſpeculares vocant) & alias multas tam reconditas quàm expoſitas naturæ opes, ſolerti induſtria vel è viſceribus elicias, vel in ſuperficie colligas, vt niſi iners vel mentis inops nemo deſpiciat tam diuitem cornucopiam.* Ioan. Dauis Regius Procurator & Aſſeſſor in Regno Hib. idem ſuis oculis expertus & teſtatus eſt. *Durante* (inquit) *meo ſeruitio in Hybernia, omnes huius Regni Prouincias diuerſis itineribus iuridicæ circuitionis obiui; vbi interim obſeruaui clementiam aëris & bonam temperiem, vbertatem ſoli, iucundos & commodos habitandi ſitus, tutos & largos portus ac fidas nauigantibus ſtationes, & traiectum in omnes occidui orbis partes liberrimum, longos fluuiorum nauigabilium tractus & ſpatioſos lacus ac ſtagna meditarranea*

Ioan. Dauis in ſuo lib. ad Reg. Ang. de defect. Rerum.

ullis per vniuersam Europam secunda) opu-ntam piscationem, & aucupium multiplex nnigenarum volucrum; corpora mentesque digenarum raris & extraordinarijs naturæ otibus prædita: quorum accurata obseruatio ihi ingenerauit appetitum, &c. & multis in-criectis, similibus tandem concludit. *Des-iptio terræ Canaan quæ habetur, Deutor. 8. otime quadrat in omnem Hyberniæ partem.* *Hyberni ingenio & miris natura dotibus pollent.* *Hibernia altera Canaan.* *'erra riuorum, aquarumque & fontium, in iius campis & montibus erumpunt fluuiorum byßi: terra frumenti & hordei; terra lactis & mellis; vbi absque vlla penuria comedes anem tuum, & rerum abundantia perfrueris.*

x his testibus neminem nostratum adduxi, ne ı propria causâ eos suspectos habeas. Hæc non-ihil prolixius, vt prauam tuam opinionem de Iiberniæ intemperie, & sterilitate, simul & uorundam errorem, quod tota siluestris sit, re-ellerem, produxi. *Pag. 48.*

Non contentus Bzouista Hibernorum pa-iam vituperare, pergit gentem ipsam, qua pol-t mordendi arte rodere, talibusque iniuriis & onuiciis tam subdolè lacessere, vt manum suam m nefaria iacula per totum orbem iactitan-m abscondere videatur amiciendo se hispidam ellem Cambrensis ex Ortelio, referensque ex s & approbans tam apertas in totum regnum iurias, vt nemini eas legenti vel sine censore, orrenda conuicia non pateant. Ego tam morti- XVI.

fero veneno ne penitius se diffundat, contraria antidota ex probatissimis authoribus adhibebo, monens Bzouistam ne amplius terræ fœnum sicut bos comedat.

Hiberni à venenosis omnibus animalibus caret.

Hoc enim singulari præ reliquis Europæ regnis Hibernia priuilegio fruitur, vt venenosi animalis impatiens sit, quin & primo contactu confestim venenosa omnia eiusmodi animalcula enecare solet, nostra terra, etiam aliò translata, vt in Anglia se vidisse testatur Vener. Beda, cui cum experientia, grauissimi subscribunt authores S. Isidor. lib. 14. Ethim. cap. 6. Iocelinus cap. 168. vitæ S. Patr. V. Beda lib. 1. Hist. cap. 1. Bosius tom. 2. sig. 93. Vincent. lib. 6. Spec. cap. 19 D. Thyræus. Oros. Solin. Iou. Sabel. Polyd. Fulg. Mola. Mayol. & alij. Innoxiam terram & gentem, venenosa & maledica lingua inficere ortus es Ianseni, deque tuo ordine & patria bene meritam, ingrati calami cuspide confodere, penetrare & lacerare conaris: Caue ne te tanquam sibi venenonosum interimat. Si pergis scribere Bzouiano more, aucturus es tuo ordini hostes. An quia Interpres in quem irruis, Hibernus est, omnes Hybernos iniurijs afficere æquum putas? Hoccine est religiosi, an potius histrionis? At refers ex alio inquis. Refers quidem, & approbas; neque impugnas prauam opinionem vt poteras, meliora ex eodem & alijs authoribus afferendo, nisi affectus calamum tuum captiuasset, & malitia intellectum mutaret. Retrospicias ad ea quæ supra dixisti: *Laudetur*, ais, *Hybernia per me licet*. Et videbis quam subito, à proposito te reflexit indomita conuiciandi libido.

An non is quem iniuste defendis, Bzouius in eo deliquit, quod omissis ominibus alijs scriptoribus de Scoto præclara loquentibus, vnum Iouium in Scotum debachantem, fuerit secutus? qualis magister, talis discipulus. Verum non citas vbi habeat isthæc de Hibernis Cambr. neque æquum est vt ego magnum volumen perlegam, vt rem examinem; sed potius iuxta regulam. *Qui semel malus.* de Regul. iur. 6. te fallere & falli præsumendum. Si quæ asseris habet Gyraldus, tanquam suspectus in Hybernos testis audiendus non est: Hostis enim gentis illius fuit quando illa scripsit; in Hyberniam namque destinatus fuit cum filio Regis Anglorum, cuius erat præceptor, vt regnum illud antea liberum, Anglico sceptro subiugaretur: in Hyberniam itaque bene affectus, in Hybernos iniquus fuit Camb. patriam sibi suoque Regi amabat amore concupiscentiæ; incolas vero renitentes, tanquam aduersarios, inimicitiæ odio prosequebatur. Interpres tamen iure ipsum pro Hybernia citare potuit, quia ob inimicitiam potest, quem pro se adducit, contra se adductum repellere. Cap. Si testes §. Si quis 4. q. 3. iuxta quod limitandum venit quod dicitur. ca. Pretium. de testib. Quod ais Gyraldum vnum testem pro Hibernia adductum ab Interprete, vnum est ex tuis falsis assertis; iam tibi enumeraui quatuor ab ipso adductos.

Camb. Hyberniæ amator, non Hybernorum.

XVII.

Succurro, inquis, *hac ratione, etsi pleraque gens talis sit qualem depinxit Gyraldus, prodire tamen ex illa quædam ingenia possunt qui-*

Pag. 48. *Iniuria Iansenij in Hybernos.*

bus merito glorietur Hybernia.

Non sufficeret calumnias ex Gyraldo referre (quod solum fecit Ortelius vt scribis) nisi illas tuo etiam calculo approbares. Sic Bzouius Iouianas in Scotum relatas, libenter approbauit. Qui tuam audacem immodestiam videre cupit, legat quæ hic habes plusquam maledica & iniuriosa toti genti Hybernicæ. Si ego essem tuæ cõscientiæ putas.ne deficeret alicuius male affecti scriptoris testimonium quo Belgas impeterem? Sed absit vt ob vnius insolentiam, gentem optimam & innoxiam tentem vel in minimo maculare. Absit vt approbem quæ maleuolus aliquis in eam acerbius scripserit. Nulla est fere natio cui aliquam notam non inusserit alicuius aut ignari, aut inimici, loquacisue calamus; vel certe cuius alicui angulo aut particulæ defectu politioris vitæ & culturæ macula aspergi nequeat. Non est tam purum vspiam metallum quin suã habeat scoriam: non tam limpidus liquor omni qui fæce careat; nec tam tersa aut polita ciuitas quæ omnibus careat sordibus, aut excrementis; in omnibus tamen regionibus, metallis, aut liquoribus, quidquid fæcis inest & purgamenti, solerter colligere, melioribus relictis, improbissimæ mentis specimen est, & in viro religioso execrabile. Hoc est muscarum instar (vt ait Iustinus in Trypho.) ad exulcerata aduolare; aut instar Iansenianæ Synechdoches, quod paucorum est incolarum, toti regno adscribere. *Quod male audit apud incolas* (ait Camden. suprà ocularis explorator) *est quod alicubi sint incultiores*; & hoc cum cum aliis calumnijs pleræque genti im-

properare audebit audax Grammatista, sine sciẽtia, ne dicam conscientia? Ne ex alterius horum defectu, amplius pecces in hac materia, aliquot sanctissimorum & clarissimorum authorũ locos, quibus Hibernos aliter quam tu, depingunt, ante oculos proponam tuos, ex his quos Interpres etiam satis copiosè antea adduxit.

Sanctus Albinus Flaccus Alchuuinus, sancti Caroli Magni Imperatoris Magister, qui ante octingentos & amplius annos floruit, cap. 4. & 5. vitæ sancti Vvilibrordi narrat *in Hybernia*, tunc *scholasticam eruditionem viguisse*, & eius adipiscendæ gratia S. Egbertum, S. Vvicbertum, S. Vvilgisium, & alios Anglos illuc iuisse, vnde doctissimi euaserunt. *Horum*, inquit, *beatus adolescens Vvilibrordus æmulari cupiens religionem, in Hyberniam veloci cursu conscendit: ibique duodecim annis, inter eximios piæ religionis & sacræ lectionis Magistros, futurus multorum populorum prædicator, erudiebatur; indeque secum assumpsit duodecim socios eo fidei feruore armatos quo & ipse (quibuscum nauim conscendit) quorum aliqui postea ob euãgelicæ prædicationis instantiam martyrio coronati sunt; aliqui vero Episcopatus ordinem accipientes, post sanctæ prædicationis labores in pace quieuerunt.* Vnde in his temporibus Hibernia tanquã propriis epithetis *Claræ magistræ*, 1. *Facundæ*, 2. & *Doctæ*, 3. nominibus celebrabatur, vt eiusdem & nostri sæculi scriptores testantur. Idem sanctus Alchuuinus carm. 1. vitæ

S. Alcuuinus Flac.

Olim in Hib. Scholastica doctrina floruit.

1. Alchuuin. ibi.
2. Hist Vniuers. fo. 132.
Alch. ibi. vita s. Sulge.

S. Vvilibr.

Venerat occiduis quidam de finibus orbis, &c.
Quem tibi iam genuit fœcunda Britannia mater.
Doctaq; nutriuit studijs sed Hybernia sacris.

Et in Elegia de S. Vvilgiso, patre S. Vvilibr. carm. 33.

Alcuino Synonimà sunt Scotia & Hibernia.

V. Beda Alch. magister.

Nobilis iste fuit magna de gēte Sacerdos, &c.
Vt dudum cecini, fœcunda Britannia mater,
Patria Scotorum clara Magistra fuit. & alibi, vbi passim in suis operibus, Scotia & Hybernia tanquam Synonimis vtitur. Vener. Beda S. Alchuuini præceptor lib. 3, cap. 27. & lib. 4. cap. 3. & lib. 5. cap. 3. & 23. &c. asserit copiosè ex Anglia, Francia, Germania, & Italia, ad sacrarum litterarū studia eminentius perficienda, homines in Hiberniam confluere solitos, ita vt pene non haberetur pro viro docto qui in Hibernia non studuerit. Author antiquissimus vitæ S. Sulgeni, ante sexcentos annos ita de Hib. cecinit. vt refert Camden.

In Hib. extraneæ nationes confluebant ad sacra studia

Aut. vitæ S. Sulgeni.

XVIII.

Qui postquam Nablam primo tener edidit infans
Perlustat scholas studio florente Britannas:
At crescente simul, ardore & tempore multo,
Exemplo Patrum commotus amore legendi,
Iuit ad Hybernos sophia mirabile claros.

S. Bernar.

S. Bernard. in vita S. Malach. Archiep. Ex Hibernia, ait, *non modo in præfatas, sed in exteras etiam regiones, quasi inundatione facta,*

illa se sanctorum examina effuderunt. Ex quibus ad has nostras Gallicanas partes S. Columbanus ascendens, Lexouiense construxit Monasterium, factus ibi in gentem magnam. Ibique inter alia de Benchor. in Hib. Monasterio, narrat nongentos vna die Martyres cœlo peperisse; vnum eius filium S. Luanum, centum cœnobiorum fundatorem extitisse; ex quo etiã prodiit S. Gallus Hibern. insignis Ciuitatis & Cœnobij Sangallensis in Heluecia fundator vt habet Strabo, Yepes, & alij. S. Iocelinus Mon. in vita S. Patricij quam scripsit temporibus & hortatu S. Malachiæ Archiep. inter alia mira de Hibernia ait cap. 174. *Infra breue igitur temporis spatium, nulla eremus, nullus pœne terræ angulus aut locus in insula tam remotus erat qui perfectis Monachis aut Monialibus non repleretur, ita vt Hybernia speciali nomine* INSVLA SANCTORVM *vbique terrarum iure nominaretur.* Et quid-ni quandoquidem in ipsis conuersionis suæ per sanctum Patricium primordiis, omnes Hiberni se suaque omnia ad pedes Apostoli sui offerentes, religionem ingredi simul ardentissime atque vnanimi consensu efflagitarunt, donec vir sanctus eorum feruorem temperans, decimum quemque vtriusque sexus Deo consecrauit. en verba ipsius S. Iocel. supra. *Omnes insulani propter tam nouum & insigne miraculum sese suaque tradentes, illi manus dederunt, &c. Fecit ergo (Patricius) totam insulam in funiculo distributionis diuidi; diuisam-*

Examina sanctorum ex Hyber. olim veniebant.

Vualafr. stra. de s. Gallo. Yepes to. 2. an. 617 & alibi.

S. Iocelinus

Hyb. Insula sanctorum.

Decimus quisque Hibernus fit Monachus per S. Patr.

que cum omnibus incolis vtriusque sexus decimari; omneque decimum caput tam in hominibus quam in pecoribus in partem Domini iussit sequestrari. Omnes ergo mares Monachos, fœminas Sanctimoniales efficiens, numerosa Monasteria ædificauit; decimamque portionem terrarum ac pecudum eorum sustentationi assignauit. Hæc Iocel. Hẽricus Antisiodorensis, ante 700. circiter annos in epist. ad Carol. Caluum. Imp. dedic. vitæ sancti Germani. *Quid* Hyberniam *memorem, contempto pelagi discrimine, pœne totam cum grege Philosophorum ad littora nostra migrantem! quorum quisque peritior est, vltrò sibi indicit exilium, vt Salomoni sapientissimo famuletur ad nutum.* Camdenus de Hyb. *Patricij discipuli tantos progressus in re Christiana fecerunt, vt subsequenti ætate* Hybernia *sanctorum patria diceretur, & Scotis in Hybernia & Britannia Monachis nihil sanctius nihil eruditius fuerit, & in Vniuersam Europam sanctissimorum virorum examina miserint; quibus Luxouium Burgundiæ, Bobiense Italiæ, Herbipolis Franconiæ, S. Gallus Heluecíæ, Malmesburia Lindisfarnæ, & quam plurima alia in Britannia Monasteria originem debent suam, ex Hybernia enim fuerunt Cœlius Sedulius Presbyter, Columba, Columbanus,*

Henr. Antisiodor. apud Camd. in Hyb.

Greges Philosophorum olim ex Hyb. *veniebant. Camd. Anglus de* Hyb. *in topogr.*

Celebria Cœnobia & ciuitates per Hybernos *fundata in exteris nationibus.*

Colmannus, Aidanus, Gallus, Kilianus, Maidulphus, Brendanus, & alij plures vitæ sanctitate, & doctrina inclyti. Et infra. *Anglosaxones etiam nostri illa ætate in Hyberniam tanquam ad bonarum literarum mercaturam vndique confluxerunt; Vnde de viris sanctis sæpissimè in nostris scriptoribus legitur, Amādatus est ad disciplinam in Hyberniam, &c. Indeque Prisci Angli Maiores nostri rationem formandi literas accepisse videntur, quod eodem plane charactere vsi fuerint qui hodie Hybernicis est in vsu.* *Hybernia bonarum literarum mercatura.*

Aldelmus Britannus qui ante 900. annos floruit, in epist. ad Edfridum Reg. de multitudine studentium in Hybernia sic loquitur. *Discentium opulens vernansque vt ita dixerim pascuosa numerositáte, quemadmodum poli cardines astriferis micantium ornantur vibraminibus syderum.* Festus Auiennas lib. de oris marit. *S. Aldelmus Brit.*

Ast hinc duobus in SACRAM *sic* INSVLAM
Dixere Prisci, solibus cursus rati est,
Eamque late gens Hybernorum colit, *Festus Auien.*

Theodor. Ab. in vita S. Rumoldi. *Insula hæc omnium terrarum sicut gleba fœcundior, ita sāctorum gloriosa simplicitate beatior.* Idem habet Sur. in vita S. Kiliani. & Gaufridus in vita S. Vvironis apud Sur. to. 4. *Theodor. 1. Iulij.* *Sur.* *Gaufridus.*

Scotia quæ & Hybernia dicitur, fertilis sanctorum Insula, & stellarum numerum prope æquans patrocinijs sanctorum. *Marianus Scotus* in Choron. lib. 2. ætat. 7. anno 674. *Ibernia insula sanctis, & mirabilibus viris perplurimis plena habetur.* Idem Molanus ad 8. Maij. Gulimanus, in vita S. Florentij: *Hybernia Sanctissimorum, doctissimorumque virorum officina.* S. Ionas apud Sur. 21. Nouemb. *Omnium vicinarum gentium fidē excellit* Hybernia. Card. Baron. ad ann. 1503. *Hybernia Christianæ fidei tenacissima.* Sanderus de Schism. fol. 162. *Illius gentis homines præ multis sunt Catholici.* Histor. Soc. Iesu lib. 3. num. 45. *Intactam Catholicam fidem, & sincerissimam erga Romanum Pontificem obedientiam animo ac voluntate Hyberni seruant.* Bosius de signis Ecclesiæ lib. 8. cap. 1. *In Hybernia non modo semper Catholica religio perstitit, sed inde viri sanctitatis illustrissimæ prodierunt.* Iocel. cap. 174. vitæ S. Patr. *Hyberni Monachi pares Ægyptijs Monachis merito atque numero viuebant, ita vt exteras atque longinquas regiones illustrarent verbo, atque religionis exemplo. Nullus in diebus S. Patricij aut multo pòst tempore successorum eius, in Pontificem aut regimen animarum promouebatur, nisi diuina reuelatione aut*

Marianus Scotus. — *D. Molan.* — *Guliman.* — *S. Ionas Ab.* — *Card. Baro.* — *Sanderus.* — *Hist. soc. Iesu* — *Bosius* — *Iocel.*

aliquo signo euidenti dignus demonstraretur. Flodoardus in vita S. Helani. *Hybernia omnibus vicinis gentibus fide præpollet.* Ioan. Maginus Patau. tom. 2. fol. 36. *Iberni Christianam religionem castè colunt.* Florimundus de orig. lib. 6. *Mirabile est neminem Hybernorum ad conciones hæreticorum sponte accedere.* R. P. Duras Soc. Iesu Assistens 17. Mar. 1604. *Admitti in Societatem nostram Hybernos desiderat omnino R. P. N. Generalis, cum ad institutum nostrum facti quodammodo videantur, humilitate, obedientia, charitate, & doctrinæ laude, quibus omnium locorum testimonio valde excellunt.* Flodoar. Florimūdus de Rem. P. Dur. soc. Iesu. Assist. General. apud Fitzim de sacrif.

Has luculentas tantorum extraneis ex gentibus authorum sententias, in quorum neminem vel suspicio fraudis, nec opinio corruptelæ, nec præoccupati affectus iudicium cadere potest, quippe qui solius compertæ sibi veritatis testificandæ gratia allecti fuere, cum aliqui illorum nobis potius inimici fuerint, quàm amici, illustri Sedis Apostolicæ diffinitiua quasi sententia finire lubet. Paulus igitur fæl. record. PP. V. in litteris suis Pontificijs quibus Hiberniæ Proceres & Catholicos consolatur datis Anno sui Pōtif. 2. vt refert Don. Roirk in refrig. antido. pag. 67. *Dilectis filiis* Clero, *nobilitati & populo fidei Regni Hyberniæ, salutem & Ap. Ben.* Paul. V. P. M.

Tribulationes cordis nostri multiplicatæ sunt

quoniam audiuimus afflictiones & angustias adquas pro tuenda diuini nominis gloria & catholicæ religionis conseruatione redacti estis, grauiores effectas esse, & quando pacem expectabatis, maiorem aduenisse turbationem. Sed Deo Patri misericordiarum gratias agimus, qui consolatur nos VESTRA ADMIRABILI CONSTANTIA *quæ cùm summa vestri nominis laude celebratur ab omnibus in Ecclesia &c. & infra.* VOS ELEGIT DOMINVS VT NOVISSIMIS ATQVE CALAMITOSIS HISCE TEMPORIBVS EXEMPLVM ORIENTIS IAM AB INITIO ECCLESIÆ RENOVARETIS. *& infra. gloriamini* MAIORES VESTROS TANTA IN DEVM PIETATE FVISSE VT HIBERNIA MERVERIT HAC DE CAVSA APPELLARI SANCTORVM INSVLA: *igitur exhibete vos dignam eorum progeniem &c.*

Paul. V. laudat Hib. constant. & Hibern. olim sanctorum insulã vocatam testatur.

XIX. Hanc igitur Ianseni gentem tam *admirabilis constantiæ* in catholica religione conseruãda *tantæ pietatis in Deum* à suis maioribus acceptæ; cũ *summa sui nominis gloria in Ecclesia celebratam*, audebis tam infamibus tuis epithetis deturpare? Siccine *Sanctorum insulæ, fidei catholicæ tenacissimæ omnium bonarum artium olim emporio, & mercaturæ, claræ scientiarum & sanctitatis magistræ, insulæ doctæ & facundæ, sanctorũ examina, & Philoso-*

phorum greges, ad aliena regna effundenti, *stellarum propè numerum æquanti sanctorum multitudine, Ægiptiorum Monachorum merito & numero pari, omnium locorum testimonio & laude excellenti, omnium vicinarum gentium fidem excellenti, glebæ omnium terrarũ fœcundissimæ, & sanctorum gloriosa simplicitate beatissimæ*, ac tandẽ proh dolor, pro tuẽda diuini nominis gloria & fide tam afflictæ, laceratæ, & vulneratæ succuris? siccine misereris, vt non modo Samaritanum in nihilo agas, verum semiuiuam relictam contemnis & laceras; antiquaque eius vulnera à fidei hostibus illata, cicatricem ducere non pateris, imo refricas, & dentata lingua ac calamo rodis: In totum regnum nullo eius in te malo merito contumeliosus es. Si in te aut tuos parum æquus visus est antagonista tuus, cur non ipsum solum castigas, sed etiam alios omnes Hibernos sine vllo iustitiæ colore, eodem inuoluis opprobrio, plerisque barbarum ritum & agrestem, cum alijs grauioribus ignominijs opponens Quales tametsi aliquos tibi in Hibernia superesse concesserim, sicut etiam in Scotia, tales tamen hos ipsos esse quales tu leuiter credis ex inuiso nostris, & tibi non viso Cambrensi, magna est deceptio, & calumnia. De quibus si mihi credere non vis, audi ipsum Iouium tantæ apud Bzouium tuum fidei, vt eum vel vnicum cæteris omnibus scriptoribus præferat. *Gens* (ait) *ignara luxus, & peregrinis illecebris incorrupta*, & alibi. *Sane Syluestres hi non vsque adeo barbari vidẽtur vt summas virtutes iustitiam, pietatem, & probitatem non agnoscant; quandoquidem nihil omnino vel Scotis socijs, vel An-* *Pau. Ioui. i descript. Scot. & Hib.*

glis hostibus concedant, si mores actionesque omnes ad æquitatem atque animi magnitudinem reuocētur; quum ipsi Hibernica simplicitate, & Romana quadam grauitate mirabiles, spectatæ frugis, & ob id innoxiam ducant vitam, & peregrini luxus illecebras aspernentur. Quippe illis amictus toga Romanæ in humerum reiectæ persimilis, cæteraque in eundem habitum: erectæ ceruices, elata pectora, constantes vultus, comæ etiam circumtonsæ, nec enormes barbæ. Hæc Iouius. Vtinam certè tam ciuiles essent multarum vrbium ciues quàm isti syluestres, quorum ingenuam simplicitatem, pietatem auitam, & luxus contemptum, rusticitatis & barbariei macula hæretici & inimici homines denigrare moliuntur.

Sed vt & ingratitudinis tuæ erga gentem Hibernicam quæ tot præclaros fidei præcones & magistros tuæ patriæ peperit, te peniteat, audi vestratem doctissimum Molanum qui per totam suam Chr. Ss. Belgij, id multoties agnoscit

D Molanus & testatur. cap. 12. sic habet. *De Scotia & Hibernia in Gallijs peregrinantes, verbum Dei seminabant per Hannoniam, Brabantiam, & Flandriam & loca vicina, Primùm S. Liuinus Archiepiscopus qui ex Scotia* (Hibernia vt euidenter probat interpres c. 8.) *Gandanum venit cum tribus discipulis Foiliano, Helia, & Kiliano* (ex c. 11.) *& inde per Flandriæ & Brabantiæ loca innumeros ad fidem conuertit: Deinde tres sanctissimi fratres. Furseus, qui Latiniacum Monasterium fundauit inquo quiescit*

Hi tres sancti fratres filij fuerunt regis Hib. *; & Vltanus Fossensis Abbas; item Sanctus Fredegandus qui in Condato, Domino inseruiuit, & S. Etno qui apud Esnas verbum Dei seminauit:*

S. Bertui-

S. Bertuinus qui Maloniam cœnobium construxit, apud Namurcum, S. Eloquius & alij. Simile habet 3. Decēb. *Valceodori, depositio S. Eloquij Episcopi qui ex Hibernia ad Galliarum littora venit cum venerabilibus viris sanctis Furseo, Vltano, Foilano, Boetio, Mambolo, Adalgiso, Ettone, Elano, Tresano, Germano, Verano, Columbano (is alius est à magno Columbano Luxouiensi) qui multum populum Domino per Saxoniam & Galliam acquisiuerant.* Quot autem ex nostri, fuerint qui Belgium verbo vitæ irrigarunt vel ex eo coniectari licet quod nulla est diœcesis in toto Belgio in qua vnius vel plurium Sanctorum nostratum reliquiæ non iacent magna in veneratione habitæ vt interpres dicto cap. 8. ostendit.

Mechliniæ iacet sanctus Rumoldus, illius Ecclesiæ primus fundator, Archiepiscopus Apostolus, & Martyr, filius Regis Hibernię: similiter in Leodiensi, Cameracensi, Gandauensi, Attrebatensi, Audomarensi, Antuerpiensi, Brugensi, Naomurcensi, Ruremundensi, Dauentriensi, Silueducensi, Harlemensi, Diœcesibus, vt habet interpres supra. Hęc & plura vidisti apud interpretem Bzouista, & gentem tuæ gentis in fide doctricem & magistram, barbaro ritu, agrestem, & inhospitalem pleramq; esse asseris. Belgium quidem gratissimum & humanissimū se nobis exhibet, etsi te ingratum filium pepererit; seque à nostris Euangelij fluenta hausisse agnoscit, vicesque rependit; nostratem iuuentutem *quærentem fidei auitæ panem, & non inuenientem qui frangat eis* (verba sunt interpretis) *Belgium præ alijs nationibus humaniꝰ suscipit, benignius fouet*

XX. *Omnis Diœcesis in Belgio habet sanct. Hib. reliquias.*

& liberalius in sacris studijs iuuat. Belgiũ agnoscit Hiberniã fidei suę maiori ex parte seminatricẽ& hibernia Belgium fidei suæ restauratricẽ. Succẽsebũt tibi Belgæ non dubito Iãseni, qui gẽtẽ ipsis tàm sacræ&antiquæ necessitudinis fœdere obligatissimã, obvnius odium, tàm impetuosè adoriris: indignabũtur & confratres tui prædicatores Hiberni, quos quà tales, communi ictu percutis; atque in ipsos & totum tuum ordinem multorum indignationem concitas. Nec fauebit Angelicus Doctor qui suum præceptorem Petrum de Hibernia excellentem Philosophum (vt ait Ribald.) contemptum & diffamatum audire, ægre tulisset, si modo ægritudinis capax esset; eius tu mentem in hoc deserens, Thomista esse dedignaris, vt Bzouista fias: nec cœterorum sanctorum Hibernorũ immensa multitudo, stellarum numero æqualis tibi propitiabitur, quorum patriam charissimam præcpitato iudicio aspernaris: nec ipse tandem sanctissimus Dominicus, cuius hortatu & Epistolis persuasus Illustrissimus Princeps Odonellus primum & egregium Conuentum pro suis fratribus in Hibernia erexit, quem postea quamplures alij imitati fuere.

Petrus de Hib. D. Th. precept. in Philos vt de Ant. Pizam. Invit. D. Th. eius op præfixa. sur. & Ritad. in eius vit. Rich. Conu. tr. de doctr. & Sanctit.

Hib. & alij. Habetur. in chron Ord. S. Domin.

Stomachari tibi meritò poterunt milites & duces Hyberni quorum legio meret à triginta circiter annis in Catholica militia Belgica; quàm strenuè & fideliter, testis sit tua conscientia, & commilitonum suorum publica vox, præ quibus nostri aliquot immunitatibus, & pari cum Hispanis militibus loco, honore, & præcedentia gaudent. Quibusque id singulare fidelitatis suæ

decus est & integritas, quod nunquam fidem fefellerint, neque intestinæ rebellionis aut seditionis (quæ frequens aliis est) culpabiles vnquam deprehensi fuerint; & hos omnes, tu inermes & agrestes prædicare audebis? cum tamen ipse Gyraldus, quem pro te adducis, triplici & antiquissimo armorum genere eos vti asseueret. Meum non est, neque huius loci, nostratum in re militari gloriam iactitare, & tu vltra crepidam is, cum eam niteris obscurare. Gyraldus si quid tale habet, sibi & omnibus scriptoribus contradicit, qui nostram gentem literis & bello aptissimam scribunt, & maxime bellicosam, solumque decus & gloriam in re Martia vniuersis rebus humanis anteponere: eo tamen forte Gyraldus Regem Angliæ allicere tentabat vt facilius ad Hibernos debellandos (quos meritò timuit) eius animus deflecteretur: quorum conquestus & subiugatio quanto sanguine ac vulneribus steterit Anglis, testes aduoco pręter nostros Annales, Anglicos etiam, & Scoticos in quibus multæ per nostrates reportatæ victoriæ recensentur, quoties enim Britones, Nordhumbros, Normannos, Oastmanos, Anglos, Noruegienses & Danos vel domum fugarunt, vel tantum illis Hibernici soli concesserunt quantum pro cæsorum cadaueribus inhumandis sufficeret? Quod si velis, partim apud Ven. Bedam in sua historia, partim apud Cambr. in topogr. apud Camden. in Corogr. Stanihurstum de Reb. Hibern. & Sulleuanum in histo. Ecclesᶜ. 15. annorum, partim apud Annales Norman. Hect. Boet. Buchan. & alios videre poteris. Testis etiam euē-

Multos externos inuasores expulerunt Hiberni à suis finibus.

tus ipse, & exitus sanguinolenti belli quod per quadringentos, & amplius annos cum Anglis, nunc in vna, nunc in alia, nunc in multis Regni partibus fortiter, & fere continuo gesserunt. Quocirca Procurator Regi⁹ in Hibernia Dauis, fatetur edito super hoc, libello ad Regem Angliæ, vsque ad tempus Serenissimi Iacobi VI. nunc regnantis, nunquam fuisse absolutè subactum regnum illud, quod tandem domesticis discordiis in se diuisum, desolatum fuit.

In bello Hybernico 150. Duces & 80000. militũ Anglorum interierunt.

In vltimis quatuordecim annis horum bellorum, quos nos attigimus, interierunt in Hibernia variis in præliis octoginta millia militum Anglorum, centum & quinquaginta eorum Duces, septem Præfecti Generales, & duo Proreges, vt enumerãt PP. Collegij Cõcep. tract. de Persecu. Hib. pag. 15. & D. Sulleuan. cit. cum aliis. Tot clades sine multis armis inferri posse, genti potentissimæ & armis munitissimæ, & hoc à paucioribus numero, delirium esset arbitrari. Deinde à tẽporibus Erimonis Regis Hib. & filij Regis Hispaniæ Milici (vt habet Mariana Hispan. to. 1. lib. 1. cap. 12.) aut vt alij loquũtur, Milesij, qui cum sexaginta nauium classe ex Hispania (vnde nostrates maiori ex parte genus & originem ducunt iuxta S. Isidor. Cambren. Annium, Yepez, Pined. Polyd. Camd. & alios) in Hiberniam appulit: ante tria millia annorum paulo plus minus-ue, nostrates Regnum suum à multis extraneis hostibus illud auidissimè inuadentibus defenderunt, continua successione 191. Regum ex eadem Erimonis progenie sine aduentitij Regis ingressu vsque ad præsentem conquestum Anglorum.

Hibernos ex Hispanorũ prosapia natos aiũt Isid. l. 14. c. 6. Cãb. li. 1. top. c. 16. & 17. apud Stanihur. Ocampo l. 1. ca 7 l. 3. c. 8. Yep. to. 1. an. 55. 7. Anni. de Reg. Hisp. A. Cambr. Rich. Stani. Coll. Cõc. cit.

Quin & Scotiæ recentioris regnum fatetur se à nostris initium, incrementum, gentem, nomẽ, linguam, & Reges suos omnes accepisse: Si igitur gens Hiberna per aliquot millia annorum Regnum suum absque vlla interlineali sceptri mutatione propugnauit, contra ipsos etiam potentissimos reliqui orbis domitores & dominos Romanos (quorum iugo nunquam colla dederunt in hoc imitati generosos Cantabros suos Progenitores quos nunquam etiam Maurus nec Romanus inter cæteros Hispaniarum populos, domare potuit) Sane non nisi calumnię aut prauæ inscitiæ ascribi potest, talem gentem *inermem* dicere: cuius inuictam in fide & patria tutandis constantiam admirans Bozius, ait tom. 1. de sig. Eccl. sig. 31. lib. 8. cap. 1. *Iure quidem Scotia cum matre sua Hibernia hucusque nunquam barbaricis irruptionibus succubuit: nam quæ hæreticis opinionibus locum non dedit, populo Catholica sentiente, neque par erat vt barbaris cederet vllo modo.* Tametsi iam à diebus Bozij proh dolor, Scotia fidem seruato regno amiserit. Hibernia autem Reges natiuos, sed non fidem, cuius per Dei gratiam, & sanctorum suorum merita, est & fuit semper *tenacissima* vt ait Card. Baron. quod adeo persuasum est ipsi Sereniss. Iacobo VI. trium illorum regnorum primo Monarchæ, vt cum generosissimum equum nuper illi donaret Cicestrius Prorex Hiberniæ sciscitatus ille si ex Hibernia esset, vbi resciuit, protinus subiunxit, *equum Papistam esse oportere*; significans omnibus Hibernis etiam à natura quodammodo, ingenitam esse ad Romanam fidem, propensionem: quorum ic-

Scotia ab Hiberniis ortum progressũ & Reges 108. accepit quibus regitur à 1901. annis

Hiberni nũquam Romanis subiecti.

Facetũ dictũ Regis Ang. de fidei tenacitate Hibernorum.

Analect. de r. b. Hib. pag. 68.

circo se *dimidiatum* tantùm Regem esse perhibet, quia eorum corpora suo imperio, sed nunquam animos suæ fidei potuit subiugare, vt refert aut. Anal.

Rex Franc. Henr. IIII *vocat Onellum tertium sui sæculi militem.*

Henricus IIII. Magnus ille Galliarum Rex, mundi & militiæ stupor, non inermem æstimauit Illustrissimum Princ. Hugonem Magnum Onellum Tironiæ Comitem quem pleno ore tertium sui sæculi militem vocitabat, se nimirum ipsum, primum esse significans, & Illustriss. Comitem de Fuentes secundum; cuius rei testem auritum & ocularem se hodie exhibet Illustriss. Dux Ossunæ Siciliæ & Neapolit: olim prorex, & multi alij. Sed ne solo viuæ vocis oraculo rem comprobem, audi antiquissimum. Solinum Polihist. cap. 35. de Hibernis dicentem. *Gens bellicosa, &c. cuius præcipua gloria est in armorum nitela.* Barthol. Cassan. in Catal. glor. mun. p. 12. con. 57. *Hibernia Britannia angustior, sed fœcundior, &c. gentes habet ferocissimas & bello aptissimas, quæ pulchro sunt corpore & elato, membrisque robustissimis, ac colore candido, &c.* Paul: Iou. in descrip. Hib. *Gens ignara luxus, &c. sudoremque omnem præter bellicum refugit, quo vno nihil fere præter decus quærendum existimant.* Mitto mille talia aliis quorum interest in hanc messem falcem mittere, quosque id magis decet, & minus piget, quàm mei instituti alumnum; hæc pauca coactus & leuiter tetigi vt quantum infamis ille & vilis titulus *gentis inermis* à nostra distat, quam in solis fere vel religionis, vel litterariis, vel militaribus exerciciis vitam impendere, omnemq; operam locare communis est authorum con-

Solinus

Hiber. gloria in armorum nitela.

Barthol. Cass.

Hiber. bello aptißimi.

Paul. Iouius idem Boem. de mor. gen. li. 3. c. 25.

Dan. cellar. in specul. orbis.

ſenſus. Videantur Stanihur. Analec. & Coll. Concept. ſupra.

Succurro (ais) *hac ratione, etſi pleraque gens talis ſit qualem depinxit Gyraldus, prodire tamen ex illa quædam ingenia poßunt quibus merito glorietur* Hybernia. pag. 48.

Quomodo poſſes nobis occurrendo nocere, plus quam ſic ſuccurrendo obes, prorſus neſciebas; quamuis (vt Aug. ait de Herode) forte nunquam nobis tantum prodeſſes obſequio, quantum profuiſti odio; excitabis enim aliquos, ſi tibi reſpondere non dedignabuntur, vt noſtratum ingeniorum ſpecimina luce donent. Vidiſti Ianſeni ingenia ex Hibernia prodeuntia quibus non modo illa, verum & quæuis natio totius Europæ gloriari poſſet; & audiſti multo plura quibus de facto gloriantur Belgium, Germania, Gallia & Italia, quorum hic catalogum texere non vacat; aliquos iam enumeraui, paucos ſtatim ſubiungam: plurimos alij in ſpecialibus de hoc tractatibus oſtendunt. Lupoldus Baberburgius libro de Zelo veterum Principum Germanorũ, ait, *Gallici æquari poſsunt Romanis & Athenienſibus per operam Clementis* Hyberni. quantum putas gloriantur Gallia, Germania, & totus Septentrio *Columbano & diſcipulis, SS. Arbogaſto, Leodegario, Amando, & alijs innumerabilibus* (vt verbis vtar Genebrardi, in Chronol. lib. 3. ann. 618.) *qui Angliam, Galliam, Italiam & Germaniam (cuius multos populos anno 630. primus ad fidem*

Aug. Ser. 10 de SS.

Lupol. Baber Genebr.

colũbanus Hib. cum ſocijs multos Germ. populos ad fidem conuerterãt, & totã Germ. Angl. \ Gall. Ital. Monachis repleuerunt.

conuertit) partim per se, partim per discipulos, Monasterijs repleuit: nam nullum adhuc sæculum tantam celebrium Monachorum segetem protulit, &c. Qui sequentibus sæculis reliquum Septentrionem conuerterunt, &c. In solo Luxouiensi Monasterio quod fundauit S. Columb. in Gallia, viuebant simul trecenti Religiosi, aut iuxta alios. 400. & omnes vnâ sancti, excepto vno Hebroino, Vt refert Yepez, Gotfr. & alij. Ex eodem etiam prodijsse 23. illustriores Sanctos canonizatos idem Yepez memorat, & 25. ex Bobiensi in Italia, quod idem erexit & sua morte consecrauit. His similia sunt Latiniacense in Gallia, per S. Furseum Hib. erectum & S. Gisleni Hib. in Flādria, in quo trecētorū Religiosorū stipabatur ipse caterua. An non his solidis & sancti; ingeniis cum Hibernia, etiam florētissima mūdi regna merito gloriari posse fateris? Putasne Galliā & ipsum Carolum Imper. non gloriari *Gregibus illis Philosophorum Hybernorū* ad sua littora migrantiū, Henric. Antisiod. ep. ad Carol. Calu. citat. & *examinibus Sanctorum, quæ quasi inundatione facta, Hybernia ad exteras nationes effundebat*? S. Bern. in vita S. Malach. An non gloriari poterit Islandiæ Regnum suo Apostolo Buone? Tarentum, Cataldo? Scotia recens, Columba? cum suis 12. Sanctis socijs. Franconia, Kiliano? Moguntium, Disibodo? Sangallenses, Gallo? Alemania, Clemente & Suuiberto cum 12. socijs Sanctis? Gallia Furseo & 12. socijs SS. Meldis Fiacrio cum totidem Sanctis sociis? Inferior German. 12. sociis Sanctis quos secum ex

S. Bern. cit. Ionas des. sil. Ant. Yep. to 2. an. 611. c 2. & 3. Geneb. cit. Bez. to. 1. fig. 32. l. 8. ca. 1.

Gotfr. Viter. an. 583. Yepez to. 2. an. 611. ca. 2 & 3.

Hibern. adduxit S. Vvilibrordus Anglus? Nothumbri ſuo Apoſtolo Aidano, cuius interpretem, concionantis & gentes illas conuertentis, agebat ipſe Rex Angliæ S. Oſuualdus, qui in Hibernia tunc *bonarū litterarum mercatura* noſtratū idioma, pietatem, & ſcientias, edoctus fuit. Sed quid multis moror? Triginta Sanctos Hibernos qui exterorū Regnorum & Prouinciarum Apoſtoli & Patroni ſunt; quadraginta ſanctos Regum filios; duo millia Illuſtrium ſanctorum magni nominis, & celebritatis, Hibernis aſſerūt PP. Colleg. Concept. immacul. in ſuo tract. de Perſec. Hibern. impreſſo Hiſpali apud Gabr. Ramos ann. 1619. ex variis authorib⁹. His merito gloriatur Hib. ingeniis, non Ianſeniis; his Theophilis & Theologis, non Grammatiſtis; his Magiſtris veris & realibus, non fictis nec vocalibus magiſtellis.

Beda lib. 3. hiſt. Ang. c. 5. & alij.

Verum non valedico tibi adhuc donec tantiſper audias quot inſignium Vniuerſitatum fundamenta & exordia Hibernicis ingeniis deberi tradunt illuſtres authores. Duos Hibernos monachos Ioannem & Clementem ſeu vt alii dicuut Claudium, fundaſſe inſigniſſimam Vniuerſitatem Pariſien. matrem vniuerſitatum tradunt S. Anton. Sabell. Naucler. Polyd. Baron. ex Henr. Mon. Yepez, Fitzim. Thyr. & alii ſimiliter: & Patauinam in Italia vt habent PP. Colleg. Conc. cit. p. 4 & quidem ex iiſdem autoribus. Oxonienſem, Lindisfarnenſem, & Malmeſburienſem in Anglia; Fuldenſem, Sangallenſem, & Herbipolenſem in Germania, ab Hibernis exor-

Vniuerſ. celeb. per Hib. fundata.

S. Ant. 2. p. hiſt. tit 14. c. 15. §. 12. Sabel. an. 8. l. 9. Naucl. to. 2. vol. 3. gen. 28. Pol. l. 15. & 9. Baron. to. 10 an. 876. ex Henr. Mon. Yep. tom. 3. an. 791. P. Fitz. l. 3. Brit. c. 5. p. 9.

D. Thyr. or. paneg. de S. patr. Gag. de Orig. Frã. l 4. Ioan. Val. cõpend. p. 10. c. 6.

dium capere asserunt Camdenus de Hib. P. Fitzimon de sacrif. in præfat. & in Britãnom: D. Thyr: disc. 5. de S. Patr. Analect. de reb. Cath. in Hibern. sect. 2. art. 7. Coll. Conce. cit. quibus addunt Camden. Anglus cum aliis, Luxouiensẽ Bobien. & Colonien. qui has omnes in exteris nationibus fundauerint, vltra domesticas & antiquissimas patrias academias Lismoren. (de qua Eccl. Taren. in lect. S. Catal.) Dunensem, Cassalen. Mayonen. Dublinen. & Armachanam (in cujus matricula 7000. studientium numerari soluisse refert autor anal. pag. 138) putasne nõ pollere ingeniis quibus merito glorietur Hibernia. Scias Ianseni scholastica studia primo & præcipuè olim in Hibernia florere (vt mecum consentiunt multi ex prædictis) atque inde ad vada Boum seu Oxonium in Anglia, & Pariosios atque alio translata fuisse, postea verô suo tempore ad Hibern. reditura, iuxta vaticinium S. Merlini apud Alexand. Nechan lib. 2. de nat. rerum, & alios antiquarios. P. Antonius Yepez Ord. S. Bened. chronographus eruditissimus, inter innumera quæ de Hib. sanctitate & litteris ac multitudine sanctorum & monasteriorum, sparsim habet per totam Chronicam, asserit in Benchorensi, vno Hiberniæ cœnobio tria millia monachorũ solere cõmorari, perpetuum illum chorum *laudis perennis* obseruantium: hoc solum monasterium vere Vniuersitatibus annumerare possim.

cand. impr. lond fo. 185 177. 267. 730. Anal. sec. 2. art. 7. coll Conc f. 8. & 9. P. Fitz. in Brit. Thyr. de S Patr.

In Hib stud. Theol. prim. florere, & postea illic reuiuiscere sperantur.

Yep. to. 2. & 3. an. 557. in Benchor. Mon. 3000. vel commorabantur.

Crediderim Bzouista Hibernorum ingenia aliquot tibi bilẽ expergefacere quod negotiũ Immacul. Concept. facesserent: inquo quantum

Hibern. aliquot myst. immacul. conc. propa-

perfecerit Scotus, velis nolis Hibernus, pernotum est: ante quem multo tempore idem propalauit mysterium Venerab. Sedulius (sic eum vocat Gelasius. Papa dist. 5. decr. c. 3. S. Roma. eccl.) antiquissimus poeta Hibernus, è cuius carminibus præter aliquot hymnos sumpsit Ecclesia Introitum Missæ B. Virg. *Salue sancta parens &c.* vt probat interpres, qui etiam in suo Rosario, omnium sæculorum consensu, non parum illustrauit idem mysterium. Quod itidem trecentis ante ipsum annis præstitit noster Reuerendissimus Primas Rich. Armachanus immacul. Concept. festum celebrans, & veritatem prædicans, per totã Hib. vt testatur Thom. Vuald. tom. 3 sacramental. tit. 9. c. 89. totique negotio finem & splendorem dedit doctissimus P. Lucas à S. Fran. Hiberniæ & Romæ ac Salmanticæ, Professor Theologiæ, qui in sua hist. legat. pro immacul. Concept. seriem totius controuersiæ à fine vsque ad finem fœliciter perduxit. Hi omnes Hiberni sunt, quorum innatam erga B. Virg. deuotionem ostendit imago illa antiquissimorum Druidarum (quibus insulam Hibernicam Monam siue Maniam dono dedit rex noster Fynanus, vt ex alijs habet Coll. Conc. cit.) quam *Virginis matris puerum gestantis* nomine & honore, colebant, multo tempore ante Christi natiuitatem vt refert Fereolus Locrius lib. 1. de Deipara cap. 18. in append. ex D. Nicol. Naucel. & Annal. Carnuten. Hæc dicta sint non tantum vt aduersarij expoliatur error (quo alios etiam captos esse non dubito, partim quia falsis inimicorum nostrorum rela-

garunt Sed. Hib. 10. 8. Bib Pr Ioã. Duns Armachan. P. H. Cauel. P. L. Vad. à S. F.

Vuald.

Druid. Hib. mira fid.

tionibus credunt de Hiberniæ rebus; partim quia non antiquam, ſed præſentem & luctuoſam eius faciem & ſtatum inſpiciunt; partim etiam quia priſcos hos authores de noſtris vere loquentes, pauci perlegunt) verum etiam vt Hiberni ipſi maiorum ſuorum exemplis accenſi priſtinam gentis ſuæ gloriam in ſe renouent, virtuteſque imitentur.

Iſta ſcripſi fateor paulo fuſius quàm tractatulus iſte, ſed non quàm aduerſarij maledicentia confutanda, exigeret; quem rogatum vellem ne tam lynceus ſit in feſtucis aduertendis etiam longinquis & remotiſſimis in regionibus, vt trabem in proprio oculo latentem alij non diſcooperiant; & ſi qua apud aliquem authorem in nationis cuiuſpiam dedecus repererit, non continuo id ecclaſiaſticis annalibus conſuat donec videat ſaltem, an is rei ignorantia, vel paſſionis, aut inimicitiæ pondere, preſſus à veritate declinauerit, vel an benignam interpretationem pati poterit. Aliquibus noſtratibus barbarum ritum improperatum non diffiteor, ſed ea talis barbaries eſſe potuit, qua ſe apud Getas laborare, ait Ouidius, *Barbarus hic ego ſum quia non intelligor vlli.* & Paul. de linguarum dono loquens. *Si neſciero virtutem vocis, ero cui loquor barbarus; & qui loquitur mihi barbarus* & qua Anacharſis Philoſophus ait *Scythas barbaros eſſe apud Athenienſes, & Athenienſes itidem barbaros apud Scythas.* Hanc in aliquibus noſtratibus reſpectu Anglorum, & in omnibus reſpectu cæterarum nationum barbariem ego concedo, à lingua, nō à vitæ inſtituto, ſumpta notione; ſicut & Agathias

Ouid. *Paul.* *Anacharſis* *Agathias*

eruditus hiſtoriæ ſcriptor, contra Procopij, de Frãcis ſimilem calumniam annotauit. *Sunt hi omnes,* inquit, *Chriſtiani, & rectiſsimæ inter cæteros opinionis. Habent præterea per ciuitates Antiſtites* Sacerdoteſq;. *Feſtos inſuper non ſecus ac ipſi nos peragunt dies. Et ſane hi mihi, etſi cætera barbari, moribus tamen videntur quàm optimis præditi, & maximum in modum ciuiles; nec quidquam habere quod à nobis hos faciat alienos præter veſtitus barbariem, & vocis innatæ ſonumque linguæ: Quos quidem cum ob eorum virtutes, tum ob æquitatem in cæteros interque ſe concordiam? mirum in modum admiratione ac laudibus proſequor.* His ego mutuatis verbis te Ianſeni alloquor, ſciens *mores* noſtrorum (vt Baſil. de Barlaam Mart. dixerat) *non eſſe cum organo linguæ barbaros, nec* eorum *rationem cum ſyllabis claudicare.* His authoribus & veritati fidem adhibere debuiſti, non malignantibus, non *in cathedra deriſorum ſedentibus*; etenim vere dixit ille Menander

Baſil. Mag.

Pſal. 1. ſecūdum Hebr. tranſlat. Pagnini.

Qui præbet aurem credulam calumnijs,
Vel ingenio is præditus vir improbo eſt,
Vel mentis non plus quam puer quiuis habet.

Menād. græ.

Præcipue cum tuis oculis per Belgium conſpexeris multos noſtræ nationis nobilitate, honoribus, ingenio, moribus, & literis inclytos, ſæculares, Eccleſiaſticos, & Religioſos; non nulla eiuſdem nationis Seminaria, ex quibus nil fre-

quentius videtur quam ſcholarum primos prodire; cuius firmamentũ eſt Collegij Hibernorũ Duacenſis Bibliotheca eorum præmiis locupletata & referta. His meis fraternis monitis auſcultare ſi nolueris Ianſeni, timendum eſt ne aliquis acutiori ſtilo & aculeis verborum te pro talione pungat, aut forte confodiat perſuaſus à

Demoſt. Demoſt. contr Ariſtogit. *Neminem fortaſſe veſtrum*, inquit, *ſerpens vnquam momordit aut araneus, & abſit vt vnquam mordeat; ſed tamen eas animantes vt videritis, ſtatim occiditis: ad eundem quoque modum, cum calumniatorem, & acerbum, ac natura ſerpentina præditum hominem videritis, ne dum veſtrum ſingulos mordeat expectate, ſed primus quiſque qui in eum inciderit, vlciſcatur.* Abſit à me vt conſulam quempiam in te vlciſcendi animo inuehi, aut deſiderem; ſed certe iuſtum ſuæ gentis defenſorem, falſa veris refellentem ſine felle, non prohiberem: Baſilio docente ep.

Baſil. Mag. 65. *Ad calumnias tacendum non eſt, non vt contradicendo nos vlciſcamur, ſed ne mendacio in offenſum progreſſum permittamus, aut eos qui ſeducti ſunt, damno inhærere ſinamus.* Ea autem quæ contra meã gentem, magiſtros, & patriam iniurioſa mendacia proferuntur, qualia hic adfert aduerſarius, claſſicorũ authorum, ſanctorumque teſtimoniis caſſare & reiicere, nemo æquus iudex conuicium eſſe cenſebit, nemo ab Apologiæ huius fine alienum, cuius vel præcipuum hunc ſcopum deſtinaui: ait enim elo-

quentiæ princeps Demosten. Olynth. 2. *Periurum & perfidum appellare, neque rem ita se habere ostendere conuicium esse quis iure dixerit?* Neque miretur vllus quod tanta ad hoc cumulauerim, cum aduersarium videat tot infamibus plerosque Hibernos (vt loquitur) titulis defamantem, eos barbaro ritu vtentes, inermes, agrestes, inhospitales, &c. publicando; neque iactantiæ tribui potest, oppositum modestè demonstrare: imo vero ingenue fateor iam à multis lustris priscam illam gentis nostræ gloriam, bellorum ingrassante rabie, multùm obscuratam & pene extinctam fuisse; hæc sanctitatis & scientiarum studia, academias, templa, cœnobia, ciuitates etiam integras, sacraque & prophana omnia, intestinarum & externarum seditionum procellis & simultatibus in cineres redigi, inque pessum abire, vt multis narrat Camdenus & alij ita vt à quadringentis annis vsque ad ann. sal. 1604. vix vlla studiorum exercitia in illa regione, præter militaria, vigere possent. Huic tantæ ac tam diuturnæ tempestati vix pauca superesse poterant, antiquitatum nostrarum monumenta quin uel in ipsis fluctibus summersa; vel solerti aduentitiorum hostium cautela & inuidia suppressa fuerint vel exportata; quam sane calamitatem, mecum deplorare magis deceret religiosum virũ, quàm irrisorie exprobare. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Filij Syon incly-*

Demo.

Cãdenus in Hib. fol. 731. Anal. pa. 151.

Ierem. Thren. 4.

ti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Obsecro autem eos qui hæc *lecturi sunt,* ne abhorrescant *propter aduersos casus, sed reputent ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad corre-*
2.Mach.6. *ptionem esse generis nostri. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere magni beneficij est indicium. Non enim sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, vt eas cum iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat, ita & in nobis statuit, vt peccatis nostris in finem deuolutis, ita demum in nos vindicet: propter quod nunquam quidem à nobis misericordiam suam amouet, corripiens vero in aduersis populum suum non derelinquit.*
Tob. 2. *Quoniam filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus quam Deus daturus est illis qui fidem suam nunquam mutant ab eo.*

EXA-

EXAMEN

Capitis IX.

ADduxit Interpres censuram cuiusdam S. R. E. Cardinalis contra Bzouium, qua sequentes maxime propositiones perstrinxit; nimirum Scotum dubitabundum in rebus fidei fuisse; Christianis dogmatibus illusisse; fidem sacrarum rerum confudisse; quas piarum aurium offensiuas, impias, scandalosas, & de hæresi suspectas esse asseruit: Quod solidissimis rationibus grauissimorumque Theologorum testimoniis luculenter ostendit. *Pag. 50.* *I. cẽsura Illust. Dom. cardinalis contra Bzouium.*

Appellat Bzouista noster ab hac doctissimi viri censura neglectis quos adduxit pro ea Theologis, ad politioris literaturæ principes (neque enim aliunde sibi auxilium sperare fidentius poterat, quam à Grammaticis, quos sibi ab ineunte ætate magistros, & patronos delegerat) exclamans velut desperationi proximus. *O Cicero*! ô *Quintiliane*! huius vos causæ, huius miseriæ meæ iudices constituo, fautores spero, & quid-ni? Grammaticus enim sum, de vestris fontibus aliquid hausi, Grammaticam summa cum laude docui. Quidni ergo vestrum implorem auxilium? *Appellatio aduersarij ad Grãmaticos, à Theologis.*

Sed videamus quid hi tibi subsidij in his an-

In quibus Grammatici audiendi, in quibus non. gustiis valeant administrare? miror certe stupidam illam tuam ad Cicetonem, & Quintilianũ exclamationem. Quamquam enim in sæcularis eloquentiæ declaratione, & eam spectantium cognitione, horum authoritati sistendnm iure sit; tamen in ijs, quibus Theologi, & sancti Doctores ad explicanda fidei nostræ mysteria vti interdum solent, consulendi nequaquam sunt. Nostra autem quæstio in eo est, an scilicet præfata Bzouij propositio de hæresi suspecta censeri debeat? & tu eos appellas, ad huius causæ iudicium, qui plane ignorant, quid hæresis ipsa apud Catholicos sit, quia nec fidem, cuius ipsa priuatio est, vllatenus cognouerunt. Si ergo fidem non nouerunt, quomodo hæresim intelligent. *Priuatio* namque *per habitum cognoscitur*. *2 Periher. fin. 4. met. tex. 2. & 16.* quod si hæresim non norunt, quomodo propositionem vllam hæreticam, aut de hæresi suspectum, ab alia quauis propositione secernere poterunt? neque enim quisquam de eo quod nescit, iudicium ferre valet: Alioquin cæcum de coloribus iudicare quid obstaret? Tu itaque qui gentiles Grammaticos in eo quod omnino ignorant iudices esse voluisti, ineptè mihi & cæcè visus es iudicasse. Ast inquies alios adduxi, sæculari pariter, & Theologica eruditione claros; fateor quidem; eos ipse in Belgio probe noui, quos ob morum grauitatem, & doctrinæ excellentiam veneror viros vtique pios, & Catholicos: Sed eos non vt Theologiæ sed vt politioris literaturæ peritos, iudices propositioni prædictæ qualificandæ adhibuisti. Hoc autẽ qualem mereatur censuram quilibet vel mediocriter

Appellare ad Grãmaticos in cõsurãdis propositionibus graui cẽsura dignũ est.

in Theologia versatus aduertet: Ego certe id inter propositiones damnabiles, vltra falsitatem, & citra hæresim collocandum censeo: prouocas siquidem in spiritualibus ad laïcorum etiam Ethnicorum tribunal, cum tamen pastorum sit quæ ad fidem spectant, docere, & quæ decẽt sanã doctrinam loqui, & eos qui contradicunt arguere. *Labia Sacerdotis conseruant scientiam, & legem requirunt ex ore eius.* *Malach. 2.*

Ecclesiæ est propositiones declarare, qualificare, definire; sic vt eius iudicio, ac definitioni refragari nefas sit. Id ipsum doctrinaliter, & cum submissione ad Ecclesiam præstare, Theologorum, & sanctorum doctorum, non Grammaticorum est, vt docte multis citatis docet Pegna. 2. part. direct. com. 28. His autem non auditis ad Grammaticos, quia politioris sunt styli, causam aliquam spiritualem deducere, præterquam quod positam à me superius censuram iure mereatur, rigidissimæ sacræ Inquisitionis sententiæ est obnoxium. Quos enim districtius, & rigidius tractarent Inquisitores quam eos qui eorum authoritatem in Grammaticos transferre audaci præsumptione tentarent? Hoc tu præstitisti dum eos arbitros in præfata proposirione diiudicanda statuisti. Quod vt clarius eluceat, placuit hic inserere quædam ex bulla Paul. III. quæ incipit. *In Apostolici culminis specula*, vbi de Inquisitoribus agens motu proprio statuit *non obstantibus quorumcumque priuilegijs, quod Inquisitores fidei possint inquirere, & procedere contra omnes, cuiuscumque sint status, & dignitatis (modo non Episcopalis) qui suspectas, scandalosas, errores continentes,*

1.

Appellatio pro censurãdis propositionibus ab Ecclea, & Theologis, ad Grammaticos, est translatio Ecclesia, & Theologorũ authoritatis in eos.

Habetur apud Pegna. post direct. inquis.

hæresim sapientes, ac alias Catholicæ fidei minus consonas, Christianæque pietati, ac bonis moribus minus conformes, vel earum aliquam asserere, seu publice proponere, vel publicare præsumpserit.

III. Prodi nunc appellator prudentissime; videamus vultum tuum si forte in eo adhuc aliquid non expressi sudoris supersit; interrogabo te, & responde mihi; Cui iam deferendum iudicas propositionum qualificandarum officium? Ciceroni? Quintiliano? id iam minime audes, scio. Sed ne deinceps recalcitres grande & terribile fulmen cecidit in caput tuum, quod in te misit bulla Cœnæ pro temeraria, hac appellatione tua ab Ecclesiasticis ad laïcos, à Theologis ad Grammaticos, in re spirituali, vel spirituali annexa. Quod si forte ignorantia lapsus es, succuro tibi sequentes proferendo qui te hac in parte docebunt. Ac in primis ex tuis lege Antonin. 2. part. Theol. tit. 12 cap. 5. Canum lib. 12. de locis cap. 11. Turrecrem. in sum. lib. 4. 2. part. cap. 8. Ban. 2. 2. qu. 12. art. 2. & ex meis Castro lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 3. Cordub. lib. 1. quæstion. q. 17. Lege etiam Albertin. de dignoscendis assertionibus fidei qu. 6. & Peg. citatum; vt horum omnium doctrina eruditus, discas à quibus res fidei sint tractandæ, & neglecta politiori literatura simpliciter vt sonat credere, & colere, quod, Ecclesia credendum, colendumque proponit. De qua re sedulò monendos docet Augustinus, *qui de schola Grammaticorum, oratorumque ad Christianismum veniunt, quia* (vt cum eodem loquar) *plerumque loquendi consuetudo vulgaris, vtilior est significandis rebus* (quas simpliciter, & pu-

Excōmunicationē Bullæ cœnæ incurrit Bzouista.

Res fidei prout Ecclesia proponit credenda sunt.

L. de Cathechis. rud. c. 9

L. 3. de doct. Christ. ca 2.

Loquendi modus vulgaris vtilior significandis rebus.

re debent efferre Christiani) *quam integritas literata,* quam ipse se contempsisse non obscure ostendit vt ad solidam veniret veritatem, dum ait: *Non timeamus regulas Grammaticorum, dum tamen ad veritatem solidam & certiorem perueniamus.* Adeo certe hoc verum est vt Laurent. Valla, quia iuxta suam Grammaticam, personam non potuit distinguere à substantia, ex vnitate substantiæ in Diuinis, Trinitatem negarit personarum. Non immeritò igitur S. Aug. in exponenda veritate, Grammaticam parui faciendam putauit; immo ipsam Ecclesia frequenter contemnit. Vnde commune illud Theologorum proloquium. *Tract. 2. in Ioan.*

Grammaticæ leges plerumq; Ecclesia spernit.

Vide mi Bzouista quantum sim diuagatus vt tuum errorem tollerem: nunc intentum prosequamur.

Bzouius. *Christianis dogmatibus illusisse videtur (Scotus) cum passim inducta quæstione dubitabundus, sacrarum rerum fidem nequaquam tenui figmentorum caligine confudisset.* pag. 51. IIII.

Quid ad hæc Bzouista? appellare imposterum ad Grammaticos tibi prohibitum est. Quid ergo consilij? Victum te fateberis? id ad te alienum, qui victor semper videri cupis. Exere ergo omnes ingenij tui vires, & hanc Bzouij propositionem à præfata censura exime. Vtere nunc tua glossandi benignitate, qua Bzouio omnem tollas amaritudinem.

pag. ead. *Tò, inquis, Christianis dogmatibus, necessario significat assertiones Theologicas, quarum nulla est à sacris litteris, Concilijs, vel supremo Christi Vicario definita:* accutissimè, doctissimè, perge; quid τὸ sacrarum rerum dicat, expone. *Pro τὸ sacrarum rerum, intelligendæ conclusiones, quæ in vtramque partem possunt ventilari. Et hoc colligitur ex τὸ fidem, per quod nullo pacto significatur veritas fidei (vt Theologi accipiunt) sed fides Latine, idem est quod authoritas iuxta Vigil. & Ciceronem.* Hæc tu tam ingeniose excogitasti, & ad alios appellas, aliorum auxilium petens. Mira modestia tua! Sed quid si vice versà omni ingenij, & eruditionis argumento carere ostendero glossam tuam? quo tunc fugies? quo appellabis? quos in auxilium socios adsciſces? verum hoc cum eo redactus fueris angustiarum, videbimus: Interim ego quod à me iam propositum est, conabor efficere: ac in primis glossa tua nullum mihi ingenij præfert specimen, cum textui aperte contradicat. Si enim Bzouius *Christiana dogmata*, perinde ac assertiones Theologicas, nondum à quoquam definitas, & *sacras res*, perinde ac conclusiones in vtrăque partem ventilabiles sumpsit; quomodo Scotum asseruisset ijs illusisse, vel ea confudisse, quod passim inducta quæstione dubitaret? an rei illudere, vel eam confundere, est eam eo quo debet modo tractare? annon assertiones incertæ nullibi definitæ pro incertis, pro dubiis, haberi, disputari, doce-

Iansenius non recte exponit mentē Bzouij.

ri possunt? annon conclusiones ventilabiles, vtrimque ventilari decet? Quomodo ergo Scotus *Christianis dogmatibus* illusisset, quæstiones inducendo, si adhuc sub quæstione sunt, & nondum ab Ecclesia definita? aut quomodo res sacras confudisset, ventilando in hanc vel illam partem, si Ecclesia in neutram eas partem determinauit? Profecto si ita Bzouius vt illum exponis, intellexit, non plus Scotum, quam D. Thomam, aliosque omnes Theologos, qui probabiles opiniones, vt tales disputant & proponunt, illa propositione & iniuria perstrinxit.

Ex his euidenter habeo longe aliam esse à Bzouij mente glossam illam tuam. Quam certe omni quoque eruditione carere clarum est, & plusquam temerariam esse ostendo. Nam *dogmata* in bonam partem intellecta (in malam enim sumpta, placita sunt sectarum) significant assertiones fidei, non humanæ, vt tu temere asseris, sed diuinæ. S. Basilius sic ea explicat. *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita; quædam rursus ex Apostolorum traditione.* Si sic dogmata exposuit Basilius qua pœna puniendum putaret illum, qui Christiana dogmata, & quidem necessariò, opiniones probabiles in Theologia, significare assereret? Profecto si id impune permitteret abire eadē ego libertate impune omnia Christiana dogmata negare possem: Immò vero & omnes doctrinæ Christianæ conclusiones, probabiles tantum asserere. Quocumque enim modo Christiana dogmata exponātur, habet & eodem Christiana doctrina explicari; & tamen si quis hanc proba-

V. *Sic explicat Aug. li. 1. qu. Euang. q. 12.*

L. de spu. s. c. 27.

Dogma quid significet.

Non tute exponūtur per dogmata christiana opiniones disputabiles

Doctrina christiana idem quod dogmata Christiana. bilem tantum assereret, non verbis tantum ab Inquisitoribus (nisi recipisceret) exciperetur. Explica si potes hunc quo arctissime implicaris nodum; quod certe aliter nequis nisi quod incaute tibi excidit, nunc caute reuocando. Si non vis, ecce tibi fulminans intonat Arausf. can. 5.

Si quis sicut augmentum, ita & initium fidei, &c. non per gratiæ donum, sed naturaliter nobis inesse dixerit, Apostolicis dogmatibus (caue Bzouista) *aduersarius approbatur* Minusne tibi aliquid videtur Christiana, quam Apostolica dogmata, continere? an qui Apostolicis dogmatibus aduersarius est, opinionibus tantummodo probabilibus aduersari solum æstimauit concilium? Fatearis ergo necesse est incaute te & temerarie locutũ. *Nobis ad certam regulam loqui fas esse* dicit Augustinus: *liberis verbis loquũtur Philosophi, sed hinc miserabilius, quo liberius errant:* Si ex verbis inconsiderate prolatis secundũ Hieronymũ incurritur hæresis, & incauta locutio secundum Greg. in errorem pertrahit, cauendum tibi erit ne pericliteris. Certe non est quod Hispaniam aut Italiam ingredi tentes, vbi in calamos incautos stricta viget inquisitio.

8. ciuit. Hiero. lib. Ep. c. 24. Vide Mag. 4 d. 13 & D. Th 2.2. q 11. ar. 2.

Quod ais per *fidem sacrarum rerum*, intelligi posse opiniones quæ in vtramque partem ventilari possent, inscite, & temere dicis. Licet enim fides interdum nude sumpta pro fide vel authoritate humana, accipi possit, tamen addito τὸ *sacrarum rerum*, sic interpretari, plusquam temerarium esse, nemo non videt; nam fidem primo

Per fidem sacrarum rerũ intelligi opiniones probabiles. temerariũ est.

modo sumptam, negare quis impune posset, & fallibilem asserere? secundo autem modo acceptam, negare, non nisi a fide alienus auderet. Præterea non de fide, vel authoritate humana tractat Scotus, sed de mysteriis fidei diuinæ: asserens ergo eum illis scriptis, quibus de hac fide egit, sacrarum rerum fidem confudisse, non de alia, quam de diuina loqui putandus est.

Ex his lucet quam vere censuerit Illustrissimus Cardinalis præfatas Bzouij propositiones esse de hæresi suspectas, impias, scandalosas, ac piarum aurium offensiuas; claret etiam quam mereantur censuram exorbitantes, & exoticæ glossæ tuæ, quas ex Virgilio, & Cicerone deprompsisti. Quo ergo nunc fugies? vbi auxiliũ? vbi refugium? à Theologis iam iudicatus es: Grammatici quoque pro te nihil adducunt. Quid in his angustiis constitutus arripies? pulsarene adhuc surdas grammaticorum aures libet? quid-ni pulsabo. *Fidem ergo vestram appello viri clarissimi rei literariæ iudices, estote arbitri num hæc Iouij* (Bzouij posuisset) *sententia, Latina sit, an vero per fidem intelligat definitionem Ecclesiæ, aut scripturæ; lis hæc ad vestrum tribunal agitanda est.* Adhuc audes appellare? putaui superius huiusmodi appellationem Bullæ Cœnæ fulmine percussam interiisse; at si forte ibi, quia ex ignorantia profecta, penitus perempta non est; hic vt pote ex pertinacia verius quam ignorantia suscepta, minime transibit inulta, ni cito resipiscas.

Censura Illustriß. Domini Cardinalis propugnantur.

pag. 51.

VII. Perpende ista Ianseni, & attente iterum, atque iterum rumina, quo tui tibi errores, & te-

meritas innotescant, quibus tam ineptas glossas confecisti, interpretis tela repulsurus, vt non prius à te missa, quam in te retorta videantur iacula tua. Num forte quia in Scoti vindicem nihil potuisti, in Illustrissimũ Cardinalem, acrem vibras linguam? *Cardinalem*, inquis *facis*
pag. 53. *barbarum qui tam crasse verba Latina intelligat.*
Bzouista iniurius in Illustrissimum cardinalem *quod studio nomen tacueris, effecisti quod ille sibi gratulatus sit de seruata nominis existimatione.* Quam callide virum hunc doctissimum, barbarum asseris: neque enim interpres eum babarum vllo modo fecit, qui eius tantummodo censuram, & verba protulit. Sed hoc tu prætextu, & simulato sapore acerbitatis tuę venenum occultare; subdole voluisti, dum sub alterius nomine Cardinalem barbarum dixisti. In censurandis tui Bzouij propositionibus grauiter & doctè processit, non Grammaticorum, vt tu soles, sed classicorum Theologorum authoritate & ratione, sua firmans. Et tu eum barbarum vocas qui Latina verba non capiat. Iudicio linquo lectoris nunquid bene moratus Religiosus appareas.

Eadem Censura taxat Illustrissimus Dominus quod asseruit Bzouius, *Scotum aliquot præclara*
Scotum præclara sui ordinis ingenia perdidisse. Maledica & iniuriosa propositio. *sui ordinis ingenia, ad optimam frugem nata, distorto ad veritatem itinere, perdidisse.* Et certè meritò quia sic eos à veritate mysteriorum fidei, de quibus Scotus egit, auertisse, nihil est aliud, quam eos hæreticos fecisse. Quod si respondeas per glossam de dogmatibus à te superius datam, hoc late iam explosum est, tanquam à fide prorsus alienum.

pag. 52. *Studeat Latinæ linguæ interpres.* Et pag. 2. *Mi-*

nus Latinè loquitur. & pag. 34. ait *quod nequeat discernere quibus numeris differat carmen à prosa*.

Non erubescit interpres prophanam nescire eloquentiam, seu vt verius cum Aug. loquar, *victoriosam loquacitatem*, cui se studuisse deplorat ipse, plangens quoque ingenium se *attriuisse erroribus, & deliramentis Poetarum*; Gaudensque non ad insipientiam se subtraxisse *nundinis loquacitatis*; *ne*, inquit, *pueri mercarentur ex ore meo, arma furori suo*. Non erubescit, inquam, illam nescire eloquentiam, propter quam vapulauit ab Angelo Hieronymus, & Greg. Nyssenus à Nazianceno est acriter reprehensus. *S. Aug. plangit senimiū studuisse Latinæ linguæ. cōfess. li. 4. c. 2. 1. conf. 13. Cōf. li. 9. c. 2. Ep. ad Eusta. Naz. ep. 30.*

Familiare est Grammaticis, & hæreticis barbariem Theologis obijcere. Sic Erasmus scholasticā Theologiam damnat, quod sit *vacua politiori literatura, & eloquentia*. Celsus eadem de causa scripturam reprehēdit. Horum inscitiam, & stultitiam merito reprehendunt, atque condemnāt sancti Ecclesiæ doctores, quorum sermo non debet esse *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis*: Paulus egregius prædicator, & doctor gentium, *Imperitus quidem sermone, sed non scientia*, vt ipsemet fatetur, si elegantiam sermonis tanti faciendam putasset, putas quia illam neglexisset? *Hæretici solent obijcere Theologis sermonis imperitiam. Erasmus in scholijs in Hieron. epist. contra Ruff. & ep. ad Eustach. Orig. l. 9. d ipsum 1. Cor. 11. 1. Cor. 12.*

Paulum secutus interpres, non vanæ loquacitati, sed veritati studuit indagandæ, quam *breui simplici, & perspicuo stylo* (cum Basilio) proposuit vt facile perciperetur. *Imperitus sermone, sed non scientia. Mihi pudoris non est*, inquit Prosper, *disputatio mea, quæ fortè probatur in rebus, si aliquos* *Quo stylo sit scribendum & veritas appetenda. Basil. ep. 166 & Hieron. Proam. in Amos. Prosper de vit. con. c. 34.*

verborum inanium sectatores, horrore incompta orationis offendat. Satius duxit interpres sub apertis verborum foliis, veritatis fructus præbere, quam sub eloquentiæ flosculis, fabulas, & figmenta contegere. *Bonorum certe ingeniorum insignis est indoles* (vt cum Augustino loquar) *in verbis verum amare, non verba; quid enim prodest clauis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea si hoc potest? potest autem quando nihil quærimus nisi patere quod clausum est.*

Aureū dictū S. Aug. l. 4. de doct Christ. c. 11.

Verum amauit interpres in verbis, non verba; & ideo grauius à te reprehensus est, qui nuda videris solum verba texuisse, posthabita veritatis ratione; vt tuam mundo notam faceres eloquētiam, aut verius loquacitatem. Tu quidem eloquens tibi ipsi videris, sed non omnium hoc iudicium est. Obtulit mihi nuper amicus quidam, in literatura consummatus, aliquot centenas solæcismorum, quos in translatione Molinæ commisisti, quibus indignum duxi chartam respergere. Sed quid-ni? ista interdum excidant viris bene grammaticis necesse est. Quandoque bonus dormitat Homerus.

Vbique in tuo ridiculo libello (ad splendorem scilicet orationis) vanas has voculas misces. *Heus, Eheu, dic sodes, mediusfidius, hercle, me hercle, Ah miseriam, ô diui belle, optime, papè,* &c. quas nugas cum recte posueris, eloquens tibi sis. Et interpres quia illis non est vsus, minus tibi Latinus videtur; quod si absque his, elo-

quentia tibi non eſt, iube Auguſt. Hieronym. Bonauenturam, Diuum Thomam, alioſque Doctores cum interprete, Latinę linguæ ſtudere. Si monſtrum illud ingeniorum Mirandulā legiſſes non fuiſſes auſus tantum tuæ garrulitati arrogare, vt planum & ſimplicem Theologorum ſtilum carperes. *Indiſertam* (ait ille in ep. ad Hermolaum) *mauult Cicero ſapientiam, quam ſtultam loquacitem.* & Hermolaū interpellās, *Viximus*, inquit, *celebres ô Hermolae, & poſthæc viuemus; non in ſcholis Grammaticorum, & Pædagogijs; ſed in Philoſophorum coronis, & conuentibus ſapientum, vbi non de matre Andromaches, aut Nyobes filijs, atque id genus leuibus nugis; ſed de diuinarum, humanarumque rerum ſcientia agitur, & diſputatur.* Et ibidem. *Prodeſſe poteſt infantiſſima ſapientia: inſipiens eloquentia, vti gladius in manu furentis, non poteſt.* Facta demum comparatione inter eloquentes, & ſapientes, pro illis adduxit Lucretium, cui ex ſapientibus opponit illum de quo litigamus D. ſubtilē. *Dicet ille (Lucretius) rerum principia atomos, vacuum, Deum corporeum, inſcium rerum noſtrarum: ſed eleganter dicet. Dicet Ioannes, eſſe ſeparatam mentem, cognoſcentem omnia, omnibus conſulentem; at dicet inſulſe, non Latinis verbis.* De vtroque mox ſuum iudicium profert ita inquiens. *Sed vide quid differāt, huic os inſipidum, illi mens deſipiens; hic*

Sapienta preferenda vanæ loquacitati.

Grammaticorum, ne Poëtarum dicam, decre- Laudes Scoti. *ta nescit, ille Dei atque naturæ; hic infantissimus dicendo, sentit ea, quæ laudari dicendo satis non possunt; ille fando eloquentissimus, loquitur nefanda.* Hæc ascendant ad cor tuum & desines verbosam eloquentiam tanti facere. Sapienter fecisses si de stylo interpretis siluisses, cui si vellet, facile erat, tuo more formularum farraginem & stribiliginem vocularum ex Dictionarijs emendicare, illisque rem Theologicam ridiculò farcire.

EXAMEN,

Capitis X.

pag. 54. 1. BZOVIVS (frustra ponis Iouium) *manifesti, vel occulti criminis, apòplexia correptus* (Scotus) *pœnas persoluit.*

Ostendit Scoti vindex variis testimoniis, & exemplis Sanctorum, impium esse, & temerarium, ex modo mortis non vulgaris, seu ad sensum carnis horrendæ, concludere vitam fuisse Deo odiosam, manifestorum, vel occultorum criminum ream. Ad id inter alios induxit Augustinum tales iudices increpãtem. *Quando,* inquit, August. in Psal. 33. & 1. de Ciuit. *respiciet Dominus mala cogitantes, & dicentes, ille malè mortuus est? cum iustus esset à*

bestijs consumptus: non erat ille iustus, ideo male perijt; nam non periret si iustus esset. Et alibi. *Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit.* Et epist. 122. fin. *Quid interest febris, an ferrum de corpore soluerit? non qua occasione exeant, sed quales ad se exeant, Deus attendit in seruis suis.* Multa alia huc spectantia adduxit exempla summorum Pontificum, Imperatorum, Episcoporum, & aliorum sanctorum, quorum nonnulli apoplexia, omnes autem insolito mortis genere decesserunt. Quos tamen ideo criminis reos putare impium & temerarium ostendit. Præterea late probauit Bzouium contra omne ius, & fas, omissis tot præclaris scriptoribus quorum ipse de Scoto laudes,& Encomia, cap. 5. Vitæ eius, & cap. 11. Apol. fuse posuit, vnum Iouium, malæ fidei scriptorem aperte conuictum, secutum esse.

Hic Bzouista, ad ea quæ sibi videbantur posse suam glossam admittere, nititur respondere, benignus interpres: ac in primis Bzouium tuetur, volens manifestum,& occultum Scoti crimen in eo fuisse quod D. Thomæ contradiceret. Ita-ne? examina quæso adhuc textum, vt videas in quo ipsi contradicas: vide inquam si occultum crimen recte dici potest, quod totus iam mundus vidit, quod ipse Bzouius ex suo Iouio propalauit, *Cum asseruit in D. Thomæ scripta,* Scotum *non dissimulanter inuectum.* Hoccine tibi occultum crimen? hoc certe occulto, nihil manifestius. Manifestum igitur est, per *occultum vel* Pag. 55. 11.

manifestũ crimen disiunctiuè, non solũ determinatè vnũ horũ significari. Sed glossa tua præterquam quod literæ non concordet, iniuriosa videtur Ecclesiæ, quæ Scoti doctrinam, & quidem D. Thomæ contradicentem in ordine Minorũ edoceri statuit. Si enim crimen est D. Thomæ contradicere, proculdubio approbans contradicentem in eo in quo contradicit, criminis reũ approbat. Deinde si hoc crimen est, quam criminosi sunt qui Scotum in eo sequuntur, eius doctrinam tuentur, & explicant. Hic in iudiciũ vocas Bzouista vniuersitates, Salmanticensem, Complutensem, Conimbricensem, & alias quę cathedras speciales pro Scoti doctrina erexerũt. Quæ omnia qualem mereantur censuram, æqui iudicis arbitrium esto. Sed si forte hæc glossa non placet, aliam adiungit Bzouista æque ineptam, nempe Deum aliquando graui pœna punire peccatum leue, & tale forte fuisse peccatum Scoti, quod morte punitum est: quod confirmat, quia Deus, *Sic violenta morte illata per leonem puniuit Prophetam 3. Reg. 13. quia contra præceptum cibo se refecit.* Quod probat ex Lyrano, & Tostato ibi. qu. 13. qui dicunt vt ipse ait, grauem illam pœnam inflictam fuisse pro peccato illo non mortali. Interpretem autem arroganter interrogat. *Legistin hanc Theologiam*?

Temerariũ est dicere quod cõtradicere D. Th. sit crimen.

Imprimis respondeo legisse interpretem hanc Theologiam apud te solum, qui Theologiam ignoras; & non apud eos, quibus tu eam parum fideliter tribuis. Tostatus quidem fatetur nihil sibi certi de Prophetæ salute constare, *Quia dolere potuit, & contritionem habere*; & insuper ait

peccatum eius fuisse leue, cum non egerit, inquit, *in Deum ex praua voluntate, vel ex concupiscentia cibi; sed solo errore; quia deceptus fuit à Propheta sene.* Lyra vero ipsum *peccatum illud inobedientiæ, morte corporali expiasse*: & *ex hoc*, inquit, *considerandum quam dure Deus sit puniturus peccata grauia iniquorum, qui pœna mortis puniuit leue peccatum sancti hominis.*

Neuter ait peccatum illud Prophetæ fuisse non mortale, vt tu eis imponis; sed leue tantum; quod verum est: quia errore seu ex ignorantia commissum: cujusmodi peccatum leue dicitur, respectu eius quod ex malitia perpetratur. Similiter sanctus Augustinus (licet illud veniale non faciat, nec leue) excusat dictum Prophetam, *quia non sua contumacia spreuerat præceptum implere, sed aliena decipiente fallacia, obedire se crediderit, quando non obediuit.* Gregorius quoque ait eum *deceptum declinasse à præceptis vitæ*: Quod certe non veniale, sed mortale sonat delictum. Deinde abs te libenter intelligerem, magne Doctor, quare Adamo pomi exigui comestio reputata est ad mortale, & Prophetæ illi seni lautioris cibi sumptio ad veniale tantum fuit? nunquid ambo decepti sunt? cur ergo in hunc benignior es quam in Adamum? si ex illa Prophetæ ignorantia putas eius peccatum tantum veniale fuisse, profecto quodlibet ex culpabili ignorantia commissum, veniale tantum erit. Cæterum quod de salute dicti Pro-

Greg. citat. à Carthusiano ibi.

phetæ ex Hugone Cardinale refers, nihil ad B.

Sed quia huic te quæstioni miscuisti, lubet te parum interrogare, vbinam in vera Theologia reperisti, Deum graui pœna punire peccatum leue non mortale? nam iuxta illam quæ in Ecclesia traditur, Theologiam, *secundum mensuram delicti, erit & plagarum modus, & quantum glorificauit se homo, & in delitijs fuit, tantum dabitur ei tormentorum.* Est & aliud vulgare axioma inter Theologos vsitatum (licet contra illud præfata loca loqui videantur, nisi bene explicenrur) *Deus præmiat Vltra condignum, & punit citra condignum.* Si citra condignum punit Deus, quomodo graui pœna peccatum leue punitum asseris? Legistin hanc Theologiam? Si non, lege Chrysostomum Hom. 37. in Gen. Aug. 21. Ciuit. cap. 24. Cassian. in Psalm. 37. S. Bonauent 4. d. 46. art. 1. qu. 2. D. Thom. qu. 2. ar. 2. Scotum q. 2. & alios Doctores qui hanc te Theologiam docebunt, vt possis cum te iterū interrogauero, respondere quod legeris. Interim quo facilius hos capere queas, necesse est scias quid per crimē intelligāt Theologi; non enim sumūt crimen pro *peccato leui* vt tu sumpsisti, sed pro graui, nam c. Apostolus d. 81. *Crimē est peccatum graue accusatione, & damnatione dignum.* Vnde Aug. *Nullus in Ecclesia recte posset ordinari minister, si dixisset Apostolus ad Titum 1. Si quis sine peccato, Vbi ait, sine crimine est. Multi quippe baptizati fideles, sunt sine crimine, sine peccato autem in hac Vita neminem*

Deus punit citra condignū, & præmiat vltra condignum.

lib. 1. contra duas. ca. 14. multi sine crimine, nemo sine peccato.

dixerim. Et tract.41. in Ioann. non ait si quis sine peccato est, hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur; sed ait, si quis sine crimine est, sicut homicidium adulterium, fornicatio, furtum, sacrilegium, & cætera huiusmodi.

Vides quam clare contra iura, & Augustinum glossas quod crimen manifestum vel occultum, pro veniali sumatur. Cautius posthac glossabis, vel grauius vapulabis.

Probat Bzouista Scotum præclara ingenia sui ordinis perdidisse distorto ad veritatem itinere, quia vindex eius cap. 6. vitæ, ait. *Præcipuos eius auditores fuisse, Aluarum Pelagium, ô Kam, magistrum nominalium, Ioannem Iandunum, Burleum, & alios*: Et pag. 50. Imponit vindici, quasi dixerit eodem capite 6. solos præcipuos Scoti auditores fuisse Okam, & Iandunum, quos, hæreticorum more, detruncando locum, adducit, omissis aliis multis Scoti auditoribus, quos ibi vindex numerat, vt imponendo lectori persuadeat, non habuisse Scotum vllos celebres auditores, nisi quos Ioannes 22. suis variis decretis damnat. *Hi*, inquit, *quo sole Ecclesiam illustrarunt? nempe id docent variæ Ioannis 22. literæ & decreta, quibus Okam, & Iandunus, item alij haud dubie Scoti auditores, de hæresi insimulantur*; & mox: *Hunc* (Iand.) *& plures quos nominare erubesco, Bzouius* (ponit ille Iouius] *forte indicat, quorum ingenia plæclara, Scoti lectio, vel disciplina, distorto*

Aduersarius de malitia notatur.

ad veritatem itinere, per subtiles, & futiles de vsu rerum simplici, & de Dominio vsus aliisque chymeris, distinctiones, perdidisse videtur.

Hæc huius iuuenculi prædicatoris modestia; sic in Ordinem Minorum & Scoti auditores, debachatur; & tamen tam modestus haberi vult, vt nullum conuitium, vel apparenter ei excidisse videatur. Nullos adducit testes, quibus tam atroces iniurias probet. In primis Scotus nihil disputauit de vsu simplici rerum, eius-ve distinctione à dominio; quia hæc controuersia post ipsum orta est. Quomodo ergo hac dictinctione perdidisset Franciscanorum ingenia? profer si potes vbi vel leuiter de hac egit. Facile est sic cudere fabulas. Legantur omnes Extrauagantes Ioannis 22. Nulla in eis mentio de Okamo, vel Ianduno reperietur. Inter literas Apostolicas collectas à Pegna, annexas directorio Eymeryci, habetur Bulla quæ incipit: *Nuper in cõsistorio,* qua citantur Occam & quidam alij tanquam suspecti de hæresi, vt respondeant: (quam tamen vidisse non videtur calumniator Bzouista) quod longe distat ab horum condẽnatione. Eymericus Dominicanus licet in suo directorio, nihil omiserit quod quouis modo cõtra Minores: hos tamẽ non est ausus hęreticos dicere, adduci posset. At Bzouista suum Bzouium sequens, qui pro suo in Minores zelo ad an. 1347. vocat Occam hæresiarcham; (cui sufficit pro tali asserto, vnus suæ factionis pastor) addit Ioannem 22. propter hunc & alios *serio cogitasse de toto ordine Franciscano extinguendo; sicut factum est cum ordine*

Occam nũquam damnatus de hæresi.

Templariorum. Pro quo citat Annales Boiorum l.7. & chron. Ordinis Minorum 3. part.

Occam calumniose vocant hæresiarcham.

Non est excusandus in omnibus Occam, sed in quibusdam accusandus; verum qui texunt Cathalogos hæreticorum, & Chronologi non vocant, nec Occam, nec Iandunum, hæreticos. vide Prateol. Bernard. Lutzemb. Posseuin. Bellarminũ, Gualterum, Gordonium, & alios. Bzouij vero in Minores zelus non hæreticum tantum, sed & hæresiarcham eum facit; cæterum, quod ait voluisse Ioannem 22. Ordinem Franciscanorum extinguere, vnum videtur ex ipsius iniuriosis figmentis: pro huiusmodi, vt notauit vindex Scoti, quando timet deprehendi in furto, facit citationes vagas. Percurri tamen quem citat lib.7. Annal. Boiorum, & nihil tale in eo reperi: sed inter alia ibi vidi relatũ, Dominicanos Ioanni 22. in omnibus astitisse, eumque in huius rei præmium ascripsisse Diuũ Thomam Cathalago sanctorum. Item ibidem offendi quendã Dominicanum sacra hostia intoxicasse Cæsarem Henricum 7. cui calicem vitæ in mortis calicẽ, nefaria metamorphosi mutauit. De quo Lisingren. in Chron. Spiren. Anno 1308. adducit sequens tetrastichon Cuspiniani.

Italicas penetrans Henricus septimus oras,
Guelfis infensos tolleret vt Latio,
Concidit à Monacho, qui mystica Liba ministrans
Pro vita mortem toxica sæua dedit.

Et Iacobus Mayreus in Annal. Flandr. lib. 11. in Robert. Bretriniensi.

verborum inanium sectatores, horrore incomptæ orationis offendat. Satius duxit interpres sub apertis verborum foliis, veritatis fructus præbere, quam sub eloquentiæ flosculis, fabulas, & figmenta contegere. *Bonorum certe ingeniorum insignis est indoles* (vt cum Augustino loquar) *in verbis verum amare, non verba; quid enim prodest clauis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea si hoc potest? potest autem quando nihil quærimus nisi patere quod clausum est.*

Aureũ dictũ S. Aug. l. 4. de doct. Christ. c. 11.

Verum amauit interpres in verbis, non verba; & ideo grauius à te reprehensus est, qui nuda videris solum verba texuisse, posthabita veritatis ratione; vt tuam mundo notam faceres eloquẽtiam, aut verius loquacitatem. Tu quidem eloquens tibi ipsi videris, sed non omnium hoc iudicium est. Obtulit mihi nuper amicus quidam, in literatura consummatus, aliquot centenas solæcismorum, quos in translatione Molinæ commisisti, quibus indignum duxi chartam respergere. Sed quid-ni? ista interdum excidant viris bene grammaticis necesse est. Quandoque bonus dormitat Homerus.

Vbique in tuo ridiculo libello (ad splendorem scilicet orationis) vanas has voculas misces. *Heus, Eheu, dic sodes, mediusfidius, hercle, me hercle, Ah miseriam, ô diui belle, optime, papè,* &c. quas nugas cum recte posueris, eloquens tibi sis. Et interpres quia illis non est vsus, minus tibi Latinus videtur; quod si absque his, elo-

quentia tibi non est, iube August. Hieronym. Bonauenturam, Diuum Thomam, aliosque Doctores cum interprete, Latinę linguæ studere. Si monstrum illud ingeniorum Mirandulā legisses non fuisses ausus tantum tuæ garrulitati arrogare, vt planum & simplicem Theologorum stilum carperes. *Indisertam* (ait ille in ep. ad Hermolaum) *mauult Cicero sapientiam, quam stultam loquacitem.* & Hermolaū interpellās, *viximus*, inquit, *celebres o Hermolae, & posthæc viuemus; non in scholis Grammaticorum, & Pædagogijs; sed in Philosophorum coronis, & conuentibus sapientum, vbi non de matre Andromaches, aut Nyobes filijs, atque id genus leuibus nugis; sed de diuinarum, humanarumque rerum scientia agitur, & disputatur.* Et ibidem. *Prodesse potest infantissima sapientia: insipiens eloquentia, vti gladius in manu furentis, non potest.* Facta demum comparatione inter eloquentes, & sapientes, pro illis adduxit Lucretium, cui ex sapientibus opponit illum de quo litigamus D. subtilē. *Dicet ille (Lucretius) rerum principia atomos, vacuum, Deum corporeum, inscium rerum nostrarum: sed eleganter dicet. Dicet Ioannes, esse separatam mentem, cognoscentem omnia, omnibus consulentem; at dicet insulse, non Latinis verbis.* De vtroque mox suum iudicium profert ita inquiens. *Sed vide quid differāt, huic os insipidum, illi mens desipiens; hic*

Sapienta preferenda vanæ loquacitati.

Grammaticorum, ne Poëtarum dicam, decreta nescit, ille Dei atque naturæ; hic infantissimus dicendo, sentit ea, quæ laudari dicendo satis non possunt; ille fando eloquentissimus, loquitur nefanda. Hæc ascendant ad cor tuum & desines verbosam eloquentiam tanti facere. Sapienter fecisses si de stylo interpretis siluisses, cui si vellet, facile erat, tuo more formularum farraginem & stribiliginem vocularum ex Dictionarijs emendicare, illisque rem Theologicam ridiculò farcire.

Laudes Scoti.

EXAMEN,

Capitis X.

pag. 54. 1. BZOVIVS (frustra ponis Iouium) *manifesti, vel occulti criminis, apoplexia correptus* (Scotus) *pœnas persoluit.*

Ostendit Scoti vindex variis testimoniis, & exemplis Sanctorum, impium esse, & temerarium, ex modo mortis non vulgaris, seu ad sensum carnis horrendæ, concludere vitam fuisse Deo odiosam, manifestorum, vel occultorum criminum ream. Ad id inter alios induxit Augustinum tales iudices increpãtem. *Quando,* inquit, *respiciet Dominus mala cogitantes, & dicentes, ille malè mortuus est? cum iustus esset à*

August. in Psal. 33. & 1. de Ciuit.

bestijs consumptus: non erat ille iustus, ideo male perijt; nam non periret si iustus esset. Et alibi. *Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit.* Et epist. 122. fin. *Quid interest febris, an ferrum de corpore soluerit? non qua occasione exeant, sed quales ad se exeant, Deus attendit in seruis suis.* Multa alia huc spectantia adduxit exempla summorum Pontificum, Imperatorum, Episcoporum, & aliorum sanctorum, quorum nonnulli apoplexia, omnes autem insolito mortis genere decesserunt. Quos tamen ideo criminis reos putare impium & temerarium ostendit. Præterea late probauit Bzouium contra omne ius, & fas, omissis tot præclaris scriptoribus quorum ipse de Scoto laudes, & Encomia, cap. 5. Vitæ eius, & cap. 11. Apol. fuse posuit, vnum Iouium, malæ fidei scriptorem aperte conuictum, secutum esse.

Hic Bzouista, ad ea quæ sibi videbantur posse suam glossam admittere, nititur respondere, benignus interpres: ac in primis Bzouium tuetur, volens manifestum, & occultum Scoti crimen in eo fuisse quod D. Thomæ contradiceret. Ita-ne? examina quæso adhuc textum, vt videas in quo ipsi contradicas: vide inquam si occultum crimen recte dici potest, quod totus iam mundus vidit, quod ipse Bzouius ex suo Iouio propalauit, *Cum asseruit in D. Thomæ scripta, Scotum non dissimulanter inuectum.* Hoccine tibi occultum crimen? hoc certe occulto, nihil manifestius. Manifestum igitur est, per *occultum vel* Pag. 55. 11.

manifestũ crimen disiunctiuè, non solũ determinatè vnũ horũ significari. Sed glossa tua prӕterquam quod literӕ non concordet, iniuriosa videtur Ecclesiӕ, quӕ Scoti doctrinam, & quidem D. Thomӕ contradicentem in ordine Minorũ edoceri statuit. Si enim crimen est D. Thomӕ contradicere, proculdubio approbans contradicentem in eo in quo contradicit, criminis reũ approbat. Deinde si hoc crimen est, quam criminosi sunt qui Scotum in eo sequuntur, eius doctrinam tuentur, & explicant. Hic in iudiciũ vocas Bzouista vniuersitates, Salmanticensem, Complutensem, Conimbricensem, & alias quę cathedras speciales pro Scoti doctrina erexerũt. Quӕ omnia qualem mereantur censuram, ӕqui iudicis arbitrium esto. Sed si forte hӕc glossa non placet, aliam adiungit Bzouista ӕque ineptam, nempe Deum aliquando graui pœna punire peccatum leue, & tale forte fuisse peccatum Scoti, quod morte punitum est: quod confirmat, quia Deus, *Sic violenta morte illata per leonem puniuit Prophetam* 3. Reg. 13. *quia contra prӕceptum cibo se refecit.* Quod probat ex Lyrano, & Tostato ibi. qu. 13. qui dicunt vt ipse ait, grauem illam pœnam inflictam fuisse pro peccato illo non mortali. Interpretem autem arroganter interrogat. *Legistin hanc Theologiam?*

Temerariũ est dicere quod cõtradicere D. Th. sit crimen.

Imprimis respondeo legisse interpretem hanc Theologiam apud te solum, qui Theologiam ignoras; & non apud eos, quibus tu eam parum fideliter tribuis. Tostatus quidem fatetur nihil sibi certi de Prophetӕ salute constare, *Quia dolere potuit, & contritionem habere;* & insuper ait

peccatum eius fuisse leue, cum non egerit, inquit, *in Deum ex praua voluntate, vel ex concupiscentia cibi; sed solo errore; quia deceptus fuit à Propheta sene.* Lyra vero ipsum *peccatum illud inobedientiæ, morte corporali expiasse*: & *ex hoc*, inquit, *considerandum quam dure Deus sit puniturus peccata grauia iniquorum, qui pœna mortis puniuit leue peccatum sancti hominis.*

Neuter ait peccatum illud Prophetæ fuisse non mortale, vt tu eis imponis; sed leue tantum; quod verum est: quia errore seu ex ignorantia commissum: cujusmodi peccatum leue dicitur, respectu eius quod ex malitia perpetratur. Similiter sanctus Augustinus (licet illud veniale non faciat, nec leue) excusat dictum Prophetam, *quia non sua contumacia spreuerat præceptum implere, sed aliena decipiente fallacia, obedire se crediderit, quando non obediuit.* Gregorius quoque ait eum *deceptum declinasse à præceptis vitæ*: Quod certe non veniale, sed mortale sonat delictum. Deinde abs te libenter intelligerem, magne Doctor, quare Adamo pomi exigui comestio reputata est ad mortale, & Prophetæ illi seni lautioris cibi sumptio ad veniale tantum fuit? nunquid ambo decepti sunt? cur ergo in hunc benignior es quam in Adamum? si ex illa Prophetæ ignorantia putas eius peccatum tantum veniale fuisse, profecto quodlibet ex culpabili ignorantia commissum, veniale tantum erit. Cæterum quod de salute dicti Pro-

Greg. citat. à Carthusiano ibi.

phetæ ex Hugone Cardinale refers, nihil ad B.

Sed quia huic te quæstioni miscuisti, lubet te parum interrogare, vbinam in vera Theologia reperisti, Deum graui pœna punire peccatum leue non mortale? nam iuxta illam quæ in Ecclesia traditur, Theologiam, *secundum mensuram delicti, erit & plagarum modus, & quantum glorificauit se homo, & in delitijs fuit, tantum dabitur ei tormentorum.* Est & aliud vulgare axioma inter Theologos vsitatum (licet contra illud præfata loca loqui videantur, nisi bene explicenrur) *Deus præmiat vltra condignum, & punit citra condignum.* Si citra condignum punit Deus, quomodo graui pœna peccatum leue punitum asseris? Legistin hanc Theologiam? Si non, lege Chrysostomum Hom. 37. in Gen. Aug. 21. Ciuit. cap. 24. Cassian. in Psalm. 37. S. Bonauent 4. d. 46. art. 1. qu. 2. D. Thom. qu. 2. ar. 2. Scotum q. 2. & alios Doctores qui hanc te Theologiam docebunt, vt possis cum te iterũ interrogauero, respondere quod legeris. Interim quo facilius hos capere queas, necesse est scias quid per crimẽ intelligãt Theologi; non enim sumũt crimen pro *peccato leui* vt tu sumpsisti, sed pro graui, nam c. Apostolus d. 81. *Crimẽ est peccatum graue accusatione, & damnatione dignum.* Vnde Aug. *Nullus in Ecclesia recte posset ordinari minister, si dixisset Apostolus ad Titum 1. Si quis sine peccato, vbi ait, sine crimine est. Multi quippe baptizati fideles, sunt sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem*

Deus punit citra condignũ, & præmiat vltra condignum.

lib. 1. contra duas. ca. 14. multi sine crimine, nemo sine peccato.

dixerim. Et *tract.* 41. *in Ioann. non ait si quis sine peccato est, hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur; sed ait, si quis sine crimine est, sicut homicidium adulterium, fornicatio, furtum, sacrilegium, & cætera huiusmodi.*

Vides quam clare contra iura, & Augustinum glossas quod crimen manifestum vel occultum, pro veniali sumatur. Cautius posthac glossabis, vel grauius vapulabis.

Probat Bzouista Scotum præclara ingenia sui ordinis perdidisse distorto ad veritatem itinere, quia vindex eius cap. 6. vitæ, ait. *Præcipuos eius auditores fuisse, Aluarum Pelagium, ô Kam, magistrum nominalium, Ioannem Iandunum, Burleum, & alios*: Et pag. 50. Imponit vindici, quasi dixerit eodem capite 6. solos præcipuos Scoti auditores fuisse Okam, & Iandunum, quos, hæreticorum more, detruncando locum, adducit, omissis aliis multis Scoti auditoribus, quos ibi vindex numerat, vt imponendo lectori persuadeat, non habuisse Scotum vllos celebres auditores, nisi quos Ioannes 22. suis variis decretis damnat. *Hi*, inquit, *quo sole Ecclesiam illustrarunt? nempe id docent variæ Ioannis 22. literæ & decreta, quibus Okam, & Iandunus, item alij haud dubie Scoti auditores, de hæresi insimulantur;* & mox: *Hunc* (Iand.) *& plures quos nominare erubesco, Bzouius* (ponit ille Iouius] *forte indicat, quorum ingenia plæclara, Scoti lectio, vel disciplina, distorto*

Aduersarius de malitia notatur.

Templariorum. Pro quo citat Annales Boiorum l.7.& chron. Ordinis Minorum 3. part.

Occam calumniose vocant hæresiarcham.

Non est excusandus in omnibus Occam, sed in quibusdam accusandus; verum qui texunt Cathalogos hæreticorum, & Chronologi non vocant, nec Occam, nec Iandunum, hæreticos. vide Prateol. Bernard. Lutzemb. Posseuin. Bellarminũ, Gualterum, Gordonium, & alios. Bzouij vero in Minores zelus non hæreticum tantum, sed & hæresiarcham eum facit; cæterum, quod ait voluisse Ioannem 22. Ordinem Franciscanorum extinguere, vnum videtur ex ipsius iniuriosis figmentis: pro huiusmodi, vt notauit vindex Scoti, quando timet deprehendi in furto, facit citationes vagas. Percurri tamen quem citat lib.7. Annal. Boiorum, & nihil tale in eo reperi: sed inter alia ibi vidi relatũ, Dominicanos Ioanni 22. in omnibus astitisse, eumque in huius rei præmium ascripsisse Diuũ Thomam Cathalago sanctorum. Item ibidem offendi quendã Dominicanum sacra hostia intoxicasse Cæsarem Henricum 7. cui calicem vitæ in mortis calicẽ, nefaria metamorphosi mutauit. De quo Lisingren. in Chron. Spiren. Anno 1308. adducit sequens tetrastichon Cuspiniani.

Italicas penetrans Henricus septimus oras,
Guelfis infensos tolleret vt Latio,
Concidit à Monacho, qui mystica Liba ministrans
Pro vita mortem toxica sæua dedit.

Et Iacobus Mayreus in Annal. Flandr. lib. 11. in Robert. Bretriniensi.

Iure dolet mundus, quod sit Iacobita secundus
Iudas; quod restat mors Cæsaris hoc manifestat.

Ac Ptolomæus Lucensis ordin. Prædicatorum in sua Historia

Cæsaris Henrici mortem plangamus amici,
Qualiter hic vitam finiuit per Iacobitam,
Per corpus Christi venenum tradidit isti.

Hunc excusat prolixissime Bzouius ad ann. 1313. equidem excusatum ipsum & ego opto, Sed labor Bzouij longe magis dãnat eum quàm liberat, vt patet intuenti. Verumtamen cuperem vt pro asserenda Scoti innocentia ac repellendis obtrectatorum iniuriis, ex tanta testium nube vel vnum protulisset in medium pro tanti Historici candore. Vnum reperit cõtra Scotum, & omnes alios pro ipso; hos subticuit, & illum exposuit: omnes autem vice versa fere contra hunc Bernardum sunt, & tamen Bzouius nullum non mouet lapidem, vt vnum aliquem reperiat quo ipsum excuset: quod quidem in cõmuni Ecclesiæ Historia minime decet, licet in particulari sui ordinis Chronica excusari forte posset, qualis hæc re vera meritò censetur. Nunc igitur Bzouista perlustratũ singulos orbis Chronicos, præter Bzouianos, & videbis non Scoti discipulos esse *quos nominare erubesces.*

In 3. parte Chron. Minorum frustra tale figmentum quæsiui, quia nihil de illa controuersia habet: tertia enim pars Chronici incipit ab anno 1334. & Papa reconciliatus est ordini anno 1329. Quo anno scripsit literas omni fauore, &

beneuolentia plenas ad Capitulum Parisiense, in quo facta est reconciliatio sui Extrauag. cum Decretalibus Nicolai, & Clementis, ac depositus minister Generalis ipsi infensus; de quo secunda part. Chron. l. 8. c. 17.

Ibidem capite 15. referuntur fautores ordinis in illis difficultatibus: Qui erant ex eodem assumpti duo Cardinales, frater Vitalis, & frater Bertrandus, qui matrem propugnabant; item Rex Franciæ Philippus VII. nepos S. Ludouici Regis, Rex Castellæ Donsantius, Rex Aragoniæ, Rex Hungariæ, Rex Maioricarum, Rex Portugalliæ, Rex Cypri, Regina Siciliæ & Ierusalem, Domina Sancia, quæ se suaque regna offerebat pro defensione Ordinis, & deuotissimis Epistolis eũ consolata est: Infans Aragoniæ, Patriarcha Alexãd. qui omnes vel teriij Ordinis, vel alias addictissim eius benefactores, & patroni extiterunt. Iisdem etiam temporibus ab eodem Ioanne 22. sanctus Ludouicus Episcopus Regis Siciliæ, & Ierusalem filius, frater Minor in album sanctorum relatus est.

Fautores ordin. Min. in difficultatibus Ioan. 22.

Reges fere omnes addicti, ordini Minorum.

Ludouicus Canonizatus.

Figmentum ergo Bzouianũ sapit, quod Pontifex serio cogitarit de ordine omnium maximo, tot Monarcharum & excellentissimorum virorum patrocinijs suffulto, ac etiam de Ecclesia vniuersa tam bene merito, penitus extinguendo. Atque vt hoc vltimum (de primo satis arbitror dictum) diligentius explicemus: Quot precor ex eo ordine prodierunt Doctores, & concionatores celeberrimi, in omni scientiarum genere versatissimi, qui doctrinam Christianam, ita verbo, & scripto propugnarunt ac illustrarunt, vt non

ſolum ab ipſis Eccleſiæ filiis nebulas ignorantiæ depulerint, ſed & peruerſis hæreticorum dogmatibus, omnem ſubintrandi aditum præcluſerint. Annon ex hoc hortulo prodiit Alexander ille irrefragabilis ſcholaſticorum omnium anteſignanus, & princeps? annon hinc Bonauentura Seraphicus, penes quem non ordinis ſancti tantum, ſed & vniuerſæ Eccleſiæ grauiora videbantur conſilia reſidere? Nonne etiam hic creuit Ioannes ille ſubtilis, cuius memoriam nullus vnquam inuidioſus tenebrio poterit abolere? Nonne demum hic floruerunt cœleſtes illi præcones, Antonij, Bernardini, Capiſtrani, Ludouici, Didaci, & infiniti alij, quorum doctrina fulget Eccleſia vt ſole luna? Quot Epiſcopi, quot Cardinales hic mihi ſeſe offerunt tranſactorum laborum manipulos portantes manibus! Quot rubricati martyres qui pro teſtamento Dei ſua corpora tradiderunt, & in ſanguine agni lauerunt ſtolas ſuas! Quot agmina confeſſorum, & ſanctarum virginum, qui adſtant in cōſpectu agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. Ex Chronicis reperio 93. prouincias huius ordinis Seraphici extare, 14000. Cōuentus, 1400. Martyres, 26. Sanctorum Catalogo aſcriptos, Beatos 203. Cardinales 50. Inquiſitores fidei 1000. & 40. Reges. Vides Ianſeni quot apparuerunt flores in terra noſtra; attolle adhuc parumper oculos & ſuſpice lectiſſimos illos quatuor flores in Eccleſiæ cacumine ſplendicantes Nicol. IIII. Alexand. V. Sixt. IIII & Sixt. V.

Vnum adhuc proferam; proferam inquam

pauperculum Franciſcum (qui primus ipſe horti noſtri, & plantator extitit, & fructus) quem Lateranenſem Baſilicam dorſo ſuo ſuſtentantem vidit Innoc. III. cuique primus ipſe militantis Eccleſiæ caput, Chriſtus Ieſus viuendi normam diuinitus præſcripſit. *Franciſce*, inquit, *nihil eſt in regula de tuo, ſed totum eſt meum, quidquid ibi eſt.*

Cuius demum Regulæ ſtabilitatem promiſſo firmauit: *Ipſa erit mea religio, & ipſam in perpetuum non derelinquam, & vſque ad diem iudicij perdurabit.* *Author conform cōform 9. per totum id habetur in reuelationibus S. Brigitæ l. 7. c. 20*

O Bzouij extinguere voluit hunc ordinem non Eccleſiæ authoritas, ſed inuidiæ malignitas; hunc hortulum explantare non ſeminator caſti conſilij Chriſtus, nec qui ſeminat ſemen bonū in agro eius ſucceſſor Petri, ſed inimicus homo, qui ſuperſeminare nititur zizania; non hoc ouile diſpergere paſtor bonus qui Criſti cognoſcit oues, ſed qui aliunde & non per hoſtium intrant lupi rapaces; nunquam voluit Ioannes 22. deſtruere quod Chriſtus ipſe extruxit. iniurius Ioanni & S. ſedi, qui hoc ei facinus imponit. Inuideant itaque, & ſua inuidia rumpantur, qui volunt: Et *hæc Religio vſque ad diem iudicij perdurabit.* Non credo qui hæc viderit facile adduci poſſe vt Pontificem id voluiſſe credat. *Author conform. conform. 9. ar. 7.* *Iniurius in Ioan. 22. qui aſſerit eū voluiſſe ordin. Minor. extinguere.*

Libro 7. Annal. Boior. pag. 767. habetur quoddam diploma Ludouici IIII. continens multa maxime iniurioſa in Ioann. 22. ibi enim vocatur hæreſiarcha, irriſor vitæ Chriſti, pollutor Religionis, anteambulo Antichriſti, item quod ſanctum Franciſcum eiuſque ſequaces im-

pietatis damnauit,& inter alia multa opprobria, *Illorum*, inquit, *Religionem exſcindere, quod Chriſtum, & comites eius nihil poſſediſſe doceant conatur.*

Longe profectò diuerſum hoc eſt à Bzouij pronunciato. Sed demus quod dixerit imperator Ioannem ſerio cogitaſſe Minorum ordinem extinguere: nonne id reponendum fuerat cum reliquis falſis eius criminationibus, quibus ſum. Pontificem aduerſarius impetebat? quare hoc non reijcitur vt reliqua eius opprobria? lectorem hic appello, vt videat quam iniquus fuerit Bzouius in Minores, quam iniurius in Pontificem, quem ſine vllo teſte aſſerit ſerio voluiſſe eos extinguere; quàm etiam mala fide citet annales Boiorum, vbi id non habetur, ſed aliud omnino diuerſum, & ab hoſte Pontificis tantummodo ipſi obiectum, qui etiam ait ipſum hæreſiarcham, irriſorem vitæ Chriſti, pollutorem religionis, & ſanctum Franciſcum ab eo impietatis damnatum, &c. Aliquid autem horum inſerere hiſtoriæ vt verum, impoſtura eſt manifeſta; vel ſi vnum eorum ex illis Annalibus eſt verum, & reliqua talia cenſeri debent.

Sed demus Occam, Iandunum,& alios Scoti auditores hæreticos fuiſſe vt calumniaris, ideone verum erit Scotum eos perdidiſſe, diſtorto ad veritatem itinere? infer ergo ſimili conſequẽtia, Chriſtum, Iudam: & Apoſtolos, Nicolaum à quo Nicolaitæ, perdidiſſe. Si diſcipulorum errores, & vita in magiſtros refundi debeant; vtrũ ſic imputabis errores impuri Buceri, & Raymũdi Neophiti peſtilentiſſimas hæreſes Angelico

Errores diſcipulorum non imputandi magiſtris.

Doctori? Dices-ne ipsum perdidisse præclara ordinis prædicatorum ingenia distorto ad veritatem itinere, quia nonnulli prædicatores ex eius schola errarunt?

Impia certe tua videtur probatio (si ignorantia quæ hic vix culpabilis potest esse non excusset) qua Scotum plura sui ordinis ingenia perdidisse affirmas, quia aliquos ex eius discipulis, tibi, licet falso, errasse persuades; aliàs idem de Christo & eadem ratione tibi erit asserendum, de D. Thoma etiam, cuius præfati discipuli errarunt, & in hæreticorum numerum sunt redacti: quod tamen de dictis Scoti auditoribus falsum est.

Eximius D. Iacobus de May Doctor Sorbonicus, & Vicarius generalis Rothomagensis, in vita Caluini à se collecta ex registro Capituli, & Ecclesiæ Cathedralis Nouiodunensis ciuitatis (vbi Caluinus, natus, educatus, & pastoris officio functus fuit) scribit ipsum Caluinum primum omnium, à quodam Dominicano, subuersum, & à fide abductum fuisse, pag. 45. in hæc verba: *Il fut premierement subuerty par vn Iacobin apostat, Allemand de natiõn, auec lequel il se logea en Chambre garnie.* Sed quis sanæ mentis imputabit D. Thomæ, quod ex eius schola primus omnium hunc hęresiarcham (quo nulla vnquam perniciosior lues, Ecclesiam infecit) peruertit, à fide abduxit, & contra fidem armauit? Quis nisi sacrilegus dicet D. Thomæ lectionem perdidisse ingenium, quo pestilens illud venenum propinatum est Caluino? Quis nisi blasphemus, asseret eum causam esse huius perniciosissimæ

X.

Caluinus primo à quodam Iacobita peruersus est.

hæresis quæ suis fluctibus nauiculam Petri magna ex parte operuit? Si hæc recte dicta, capis Bzouista, desine malitiosè Scoto improperare, si forte ex eius schola aliqui errassent: id discipuli, non magistri vitium esset. Scoti discipulos de hæresi notatos tua maledicentia, & calumnia est. Quod plures eorum nominare erubescis, effrons erubescentia est. Inquisitionem istam in Scoti discipulos fecisse liuor, & malitia est. Scotistas hæreticos nobis exhibere voluisti, non potuisti. Occam, hæreticum non fuisse constat ex indice libr. prohibitorum, Tridentini, in cuius præfatione habetur in secunda classe non condemnari authores, sed aliqua eorum opera, minus sana, *etiamsi, authores à quibus prodierunt* (verba sunt Theologorum, pro indice deputatorũ) *ab Ecclesia nunquam desiuerunt*. In secunda autem classe tantum, ponuntur Dialogi & Opusc. 90. Dierum Occam, sicut & alia varia opera aliorum Catholicorum Doctorum, vt Catherini, Medinæ, Feri, & aliorum; ergo iuxta indicem Concilij, Occam minime dici potest hæreticus, sed censendus Catholicus, esto quædam eius opera prohibita sint: quandoquidem, ex Indice, nunquam desiuit ab Ecclesia. Cypriani, Iochimi, Cassiani, & aliorũ nonnullæ opiniones, reprobatæ sunt; nemo tamen, nisi impie, eos omnes hæreticos vocabit; maleuolentia ergo inuida est, Occam virum doctissimum & subtilissimum, celebetrimæ Nominalium scholæ principem, quod quædam eius opera prohibita sint, hæreticum, aut hæresiarcham asserere.

Ex indice Cõc. Tridẽt. cõstat Okam nõ fuisse hæreticum.

Longum esset tractare quid Ioannes 22. in

Minores commouerit, & ostendere quinam eum ad id impulerint; ideo aliis relinquitur quia non est huius loci, aliquid tamen dicere oportet, quia prouocas. Nicolaus III. cap. exiit de verb. signif. conformiter ad Honorium III. Gregor. IX. Innocent. IIII. & Alexand. IIII. declarauit *abdicationem proprietatis in speciali, & communi, quam faciunt ff. Minores, esse sanctam & meritoriam, quam Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmauit*: Ioannes 22. Definiuit tanquam de fide, Christum, & Apostolos habuisse quarundam rerum Dominium; quod videtur supradictæ declarationi contrarium. Itē asseruit talem abdicationem non facere ad maiorem perfectionem; item in rebus vsu cōsumptibilibus vsum à proprietate non distingui: sed neutrum horum duorum tāquam ad fidem pertinens, definiuit, & ideo non tantum Minores, sed communis DD. oppositum tenet cum citatis Pontificibus, aliisque Ioannis successoribus; & Thomistæ, quorum magna pars tenet, carere bonis in communi, & particulari non dicere maiorem perfectionem, iniurij videntur sancto Dominico qui sub maledictione prohibuit suis, ne possessiones procurarent ex sancto Antonino; quod inepte, & ignoranter factum est, si possessionibus carere, perfectionem maiorem non dicit.

Dominicani tenentes carere possessionibus, non dicere perfectionem, iniurij S. Dominico.

XI. Quoad definitionem autem Ioannis de paupertate Christi, & Apostolorum, Occam & alij quidam ff. Minores restiterunt, obijcientes, Ni-

colai III. Clementis V. & aliorum Pontificum declarationes. Multos etiam alios errores obiiciebant Ioanni, in quo ordo Minorum nũquam approbauit ipſorum factum; licet Ioannes ab erroribus excuſari non poſſit, vt fatetur Bellarminus ſummorum Pontificum ſummus propugnator libro 4. de Summ. Pontific. cap. 14. horum impugnatione, & reſiſtentia irritatus Ioannes, æmulis impellentibus, ff. Minores grauiter vexauit, ſed omnia contra eos facta ante mortem reuocauit vt declarat Capitulum generale Melchlinienſe, & habetur in tabula Vicarij generalis, referuntque Rodriguez tom. 3. q. 20. art. 1. Cordub. in Reg. cap. 6. qu. 1. & 2. & alij: & ſi non reuocaſſet, reuocata ſunt per ſucceſſores qui confirmarunt, & reualidarunt declarationes Nicolai, & Clementis V. ita Martini. V. cap. 1. Conſtitut. Alex. VI. Calix. IIII. Sixt. IIII. Eugen. IIII. Leo X. de quibus vide Cordub. in Reg. & Rodriq. citatos.

Occãm & alij ſcribunt in Ioan. 22.

Ioannes 22. erroribus nõ caruit.

Omnia cont. Minores facta retractauit.

Declarationes Nicol. 3. & Clem. V. approbata à ſucceßorib⁹, poſt Ioan. 22

Ordo Minorum ſemper firmiſſime tenet, & tenuit quod Nicolaus cum aliis Pontificibus docuit, abdicationem ſcilicet proprietatis, in communi, & particulari, eſſe à Chriſto, verbo edoctã, & exemplo firmatam. Et ne dicatur Ioannes in re ad fidem pertinente, aliis Pontificibus contradixiſſe, concordatur cum ipſis, dicendo quod aliquando Chriſtus, & Apoſtoli habuerunt quarũdam rerum, ſeu loculorum Dominium, quod ſubindicaſſe videtur Nicolaus III. ſupra, dicens Chriſtum loculos habuiſſe, infirmorum imperfectionibus condeſcendendo, *& vt imperfectas ſemitas non damnaret*. Per quod ſaluatur quodã-

Abdicatio proprietatis in particulari & cõmuni ſancta eſt, & à chriſto verbo & exemplo edocta.

modo definitio Ioannis & conciliatur cum Nicolao III. quo ſenſu, etiam Occam & alij conciliari poſſunt cum Ioanne, quantum ad articulum paupertatis. Vbertinus de Caſſali aliter eos conciliat, iuſſus à Ioanne 22. dicere ſuam ſententiam, vt refert Nicolaus Glaſberg. in ſuo Chron. nempe, quod habuerunt Apoſtoli loculos vt Prælati Eccleſiæ in vſum pauperum, & in quantũ priuatę perſonę: vt verò Euangelicæ perfectionis profeſſores, non habuerũt. De quo late & docte Cordub. ſupra, ſcribens Doctores ordinis Prædicatorum rem hanc nimis vrſiſſe contra ff. Minores. Quod ſi alia temere ſcripſit, vel dixit Occam in Ioannem, reprehenſibilis eſt; at hæreſiarcha non eſt, niſi in imaginatione Bzouiana. Catharinus inter errores Caietani ponit, Chriſtum, & Apoſtolos habuiſſe Dominium.

Conciliatur Ioan. 22. cũ alijs Pontificibus.

Quomodo Apoſtol. habuerunt loculos

Non me latet Eymericum in ſuo directorio (in multis nimis obliquo, maxime vbi de Minoribus agit) 2. part. qu. 15. aſſerere eſſe errorem quod ſanctus Franciſcus tradidit ſuis fratribus Euangelicam paupertatem, ita quod nihil poſſint habere in proprio, nec in cõmuni: ſed nulla ratione audiendus eſt, cum cõtra multitudinem Pontificum loquatur; & quia in fabricandis erroribus, quibus fratrum Minorum ordinem lædat, craſſiſſimè errat. Ibidem ponit inter errores Beguardorum, aſſerere *Fratrem Minorem factum Epiſcopum, vel Cardinalem, teneri ad votum paupertatis factam ſecundum regulam ſuam*: Quod tamen tenet expreſſe D. Thomas de omnibus religioſis in communi 2. 2. qu. 185. art. 8. dicens ibi ad 3. tales rerum Eccleſiaſticarum tantum eſ-

XIII.
Eymericus Dominican⁹ iniquus in ff Minores.

Religioſus Epiſcopus non ſoluitur voto paupertatis.

se dispensatores. Doctrinam igitur D. Th. erroneam in fide asseruit suus Eymericus.

Aduersarius nō intelligit statum quastionis.

Quod ais Bzouista, chymericam esse illam distinctionem Scoti de *simplici vsu*, & de *Dominio vsus*; ostendit te non intelligere terminos. Distinctio illa in scholis, & apud doctores datur de simplici vsu, & de vsu iuris, vel de vsu facti, & proprietate rei vsu cōsumptibilis. De hac distinctione agit Ioann. 22. & nonnulli ex tuis cōfratribus falsam esse putant: Tu vero terminos non intelligens, chymęram esse ais. Audeo dicere, si interrogaret quispiam, vix te scire quid sit chymæra in actu signato: etsi in actu exercito tibi sit notissima.

XIIII. *Quid vsus facti, iuris, & proprietas.*

Simplex vsus facti est quando quis iuste vtitur re aliena, durante alterius beneplacito tantum: vsus iuris independenter ab alio habetur, & alienatur ad nutum vsuarij: proprietas est potestas disponēdi de re in omnem vsum lege non prohibitum; de quo optime post alios Leonard. Lessius lib. 2. cap. 3. Nunc breuiter ostendo non istam distinctionem, sed te chymæricum esse.

Omnis Religiosus habet vsum facti, sed nullus proprietatem.

Tu Religiosus vsum tantum simplicem rerum tibi ad victum, & amictnm à communitate concessarum habes, quia ad nutum eius, his vteris; vsum iuris, vel proprietatem non habes, quia de his ad libitum disponere nequis; est-ne ergo hæc dtstinctio chymærica? profecto si est, tu proprietarius licite potes esse, contra caput cum ad Monast. de statu Monachorum ibi. *Abdicatio proprietatis, sicut custodia castitatis est de essentia Religionis, &c.* Ostendo. Habes vsum simplicem rerum quæ vsu consumuntur, sine quo viuere nequis,

quis, & non distinguitur ab hoc vsu proprietas, vel vsus iuris, vt ais; ergo proprietarius es, & ditescere licite potes. Consequentia patet, quia non efficeris harum rerum Dominus cum desinunt esse, quia non entis nullus est Dominus; neque cum panis, & vinum in stomachum mittuntur, quia tunc vsus non est humanus, sed cum bestiis communis: si ergo antea Dominus harū rerum efficeris, poteris parcius viuendo, partem earum reseruare, & tractu temporis licite ditescere; quo nihil absurdius.

Fatendum ergo te habere huiusmodi rerum vsum tantum simplicem facti, non vsum iuris, vel Dominium; & hoc quod in te, & quolibet religioso aliorum ordinum locum habet, & perfectionem dicit, in communitate fratrum Minorum locum habere, & perfectionem dicere declarauit Nicolaus 3. Clemens V. & alij Pontifices; ita quod ipsa tanrum habeat vsum facti, iure & proprietate rerum penes Ecclesiam remanentibus. Ioannes 22. oppositum docens in quæstione ciuili, ad fidem non pertinente, errauit. De quo vide doctissimū ac piissimum Bellarminum supra, qui ita tenet. Lessi. lib. 2. ca. 3. dub. 8. Aluar. Pelag. de planctu Eccles. Barthol. Pisan. in conformitatibus. Nauar. in Commēt. 2. de Reg. n. 4. De quo etiam latissime, & doctissime tractauit Occam in opere 90. dierum à cap. 31. refutans subtilissimè omnia contenta in constitutionibus Ioan. 22. circa hanc materiam, quatenus aduersantur aliorum Pontificum decretis; sed in eo reprehendendus est, quod de paupertate Christi, & Apostolorum, quos Ioā-

Ioan. 22. errauit, sed in quæstione ciuili de distinctione vsus à Dominio.

nes 22. proprium habuisse definiuit, non conciliauerit eum cum aliis Pontificibus, qui oppositum docuisse videbantur: refutauit etiam defensionem dictarum constitutionum, nomine Ioãnis factam contra obiectiones Michaelis Cæsenatis, & ita solide, quod nihil aduersario respõdendum reliquisse videri possit. Ibi longe modestior est, quam in aliis, quæ contra Ioann. 22. scripsit, & vbi minus habet immodestiæ, plus ostendit solidæ doctrinæ, iuxta illud Prouerb. 19 *Doctrina viri per patientiam noscitur.* Idem docet doctissimus Soto lib. 4. de iust. qu. 1. art. 1. & subiungit, *Neque multum mouere debet verbum Ioan. 22. dicentis se abdicare tale Dominium, quia id non facit legitime, & si fas est dicere nec iuste, sed certe in odium forsan Occam, & aliorum sui ordinis, qui fuerunt ei infensissimi.* Consentit Bannes 2. 2. Præamb. ad qu. 62. bene probans vsum distingui à Dominio in rebus vsu consumptibilibus, & expresse asserens fratres Minores in huiusmodi rebus tantum habere vsum, & non Dominium.

Occam reprehendendus, quod nõ cõciliauerit Ioan. 22. cũ aliis pontificibus.

Insignes Thomistæ pro distinctione vsus à Dominio in rebus cõsumptibilibus vsu.

XVI. Si horum virorum, & celeberrimorum scriptorum ordinis tui modestiam & sinceritatem tu, & Bzouius seruassetis, ab his litibus essemus immunes; sed effecistis, ad maiorem veritatis manifestationem, quod verisimile sit aliquos operam in hoc posituros vt ostendant quinã primitus excitarũt illas turbas de paupertate Christi, & Apostolorum, & ff. Minor. quibus Ecclesia non parũ vexata fuit; & quinam etiam Ioan. 22. contra Minores accẽderunt; item qui suscitarũt lites & seditiones in omnibus fere Christianis-

Alij Ioan. 22 cõtra ff. Minores concitarunt.

miprouinciis contra immaculatam Conceptionem prædicātes, quarum occasione scribit Thomas Vualsingam Benedictinus in Richard. 2. in Galliis decretum fuisse de ordine Prædicatorum ibidem extinguendo: Item qui-nam alias lites mouerunt contra sanctum Bernardinum Senensem, B. Ioannem Capistranum, & sequaces prędicantes magnalia nominis Iesu, & illud depictum in tabellis deferentes, quibus variæ Italiæ partes, & ipsa vrbs grauiter turbabantur, donec publica habita disputatione, coram Mart. V. & Cardinalibus, conuenientibus 52. Doctoribus Theologiæ ex vno ordine pro parte altera, lata est sententia pro sancto Bernardino & nomine Iesu, & solemnis processio ex mandato Pontificis in honorem eiusdem sacri nominis per vrbem habita. Non me latet Bzouium ad ann. 1425. pro suo zelo in Minores, scribere, mandatum fuisse sancto Bernardino, abstinere à prædicatione nominis Iesu, eiusque delatione & ostensione in tabellis, tanquam à superstitiosis, & periculosis: pro quo citat Anton. 3. ti. 22. cap. 7. Sur. tom. 2. & Marc. Vlissipon. 3. part. lib. 2. cap. 11. Fateor non nihil fundamenti esse in Anton. Sed alios duos, mala fide secum rapit. Surius enim ibi in vita sancti Bernardini, ait. *Postquam Pontifex audiuit eum ad omnes quæstiones, humiliter respondentem, copiosissima ipsum impertiuit benedictione, & authoritate Pontificia copiam ei fecit libere prædicandi circumquaque verbum Dei, dulcissimumque nomen Iesu populis ostentandi*, nota, *& palam gestandi*. idem habet Marcus Vlissipon. loco à Bzouio, citato, & latius

Decretum in Gallia de extinguendis Dominicanis, quod nō cessarent impugnare immaculatam Conceptionē

lib.1. cap.46. Vbi ponit circunstantias illius disputationis (in qua ipse Sanctus primo respondit, & post eum beatus Ioannes Capistranus) ac victoriæ reportatæ, & processionis ex mandato Pontificis habitæ, B. Ioanne Capistrano, nomen Iesu in tabula deferente: Et tamen pro cādore Bzouij, hos duos adducit testes quod mandauit Pontifex S. Bernardino abstinere à predicatione, & publica ostensione nominis Iesu, tanquam à superstitiosis. P. Ribadeneira in vita S. Bernardini & alij, cum Surio & Marco conueniunt.

XVII.

Quorum occasione orta Lutherana hæresis?

Item dicent fortassis quorum occasione data vel accepta, dissidiisque, Lutherus & sequaces eius, perniciosam istam hæresim, quæ vniuersalem Ecclesiam, in omnibus fere orbis partibus afflixit, ab Orco suscitarunt; quam etiam in præsentem vsque diem longe, lateque diffusam, in suis posteris conseruant. Et tandem quibus alteram partem agentibus, excitata est magna controuersia de auxiliis Diuinæ gratiæ, quæ supremū Ecclesiæ tribunal à multis annis occupauit, & multorum pacem, & animorum quietē perturbauit, & adhuc sub iudice, indecisa manet.

Docebunt hi, à Bzouio, & similibus ad id impulsi, tuos (Bzouista) in plerisque horum, vel in omnibus, alteram litigantium egisse partem; in quibusdam id iniuste fecisse, plusquam palam est; in aliis quid dicendum fuerit, auditis ipsorum rationibus, maturius iudicabitur; vt vt sit, in tot magnis litibus & dissidiis, & cùm variis ordinibus, habitis, alteram partem egisse, non arguit authores fuisse pacis zelatores, sed domi-

nationis in clero appetitores. Absit vt per hæc ordini PP. Prædicatorum iniuriosus esse videar, quem nimirum veneror, vt magnam Ecclesiæ columnam; non, inquam illi, sed aliquibus filiis eius, minus paci consulentibus, minusque amicitiam fouentibus, succensere iure possunt ij, de quibus loquor.

Vt amplius probet Scotũ perdidisse præclara ingenia Franciscanorum, distorto ad veritatem itinere: *Et huc facit*, inquit, *illud Innocent. V. Qui D. Thomæ sapientiam, vel doctrinam tenuit, nunquam inuenitur à veritatis tramite deuiasse; & qui eam impugnauit, semper fuit de veritate suspectus.* Pag. 57. XVIII.

Testis mihi conscientia quàm alienus sim à diminuendis D. Thomæ laudibus. Sed laudes non sunt illi gratæ, quę in aliorum iniuriam proferuntur. Innocentius obiit anno 1276. duobus annis post obitum D. Thomæ, & post 5. mẽsem sui Pontificatus, vt videre est in Anton. Senens. Sixto Senens. Posseuino, Alberto Bonon. Ciocconio, Onuphrio, Bellarmino, Platina, Nauclero, Bzouio, & aliis. Statim post suam electionem, totum se conuertit ad sedandos Italiæ tumultus, quæ bellis vbique ardebat; nihil eum scripsisse memorant citati authores, vel alij quos viderim; sed nec scribere valuit tantillo tempore, grauissimis Ecclesiæ, & pacis Italiæ negotiis, obrutus. Impostura ergo videtur, si forte dum esset frater Petrus de Tarantasia, prædicta verba dixerit, vel scripserit, ea citari sub nomine Innocent. V. Simili ampliatione quidqnid ei contigit à natiuitate, tribuetur Innoc. V. & sic dicitur Innocent. V. rationis impos, non

Innocent. V. quando obijt & quamdiu sedit.

Innoc. V. nõ aſſeruit impugnatores D. Th. eſſe de veritate ſuſpectos.

baptizatus, confirmatus, flagellis à magiſtro exceptus, &c. quia ſufficit hæc aliquando conueniſſe perſonæ, quæ aliquando fuit Innoc. V. quo nihil abſurdius, nec à veritate Hiſtoriæ magis alienum. Eadem ampliandi libertate dici poteſt illa verba prolata eſſe à rationis impote, quia proferens, aliquando talis fuit.

XIX. Dicendum ergo primo, ſi frater Petrus de Tarantaſia dixit impugnatores D. Thomæ ſemper eſſe de veritatate ſuſpectos (quod dubium eſt, neq; enim citatur vbi hoc dixerit) ipſum in hoc erraſſe; neque enim defuerunt. (teſte Bellarm. de Script. Eccleſ.) qui pluſquam 100. propoſitiones eius reprehenderent. Secundo, iuxta verba citata loquitur tantum de iis qui D. Thomã iam impugnarant; non ergo de Scoto & Scotiſtis, qui poſt illud tempus & D. Thomam floruerunt, & tunc adhuc ipſum non impugnarant. Perpende verba eſſe præteriti temporis, vt citãtur à Bzouiſta; nec docet vbi apud Tarantaſ. reperiantur, vt examinentur.

Fr. Petrus de Tarantaſia, ſi dixit impugnatores D. Thom. eſſe ſemper ſuſpectos, grauiter lapſus eſt.

Tertio, demus gratis etiam, dum Pontifex eſſet, illud dixiſſe; non dixit vt Pontifex, ſed vt priuatus Doctor, niſi oſtendas decretum ſuper hoc edidiſſe. Sic Innocent. III. multa in Comment. Decretalium ſcripſit, quæ à quouis melius ſapiente, refutari ac reiici facile poſſunt. Ita reſpondet Ioannes 22. Extrauag. Quia quorundam, ad obiectionem ex eodem Innocentio V. ſibi factam: *Non obſtat*, inquit, *quod dicit Innocent. V. altam paupertatem eſſe, habere pauca propria propter Deum; altiorem, quæ nulla habet propria, tamen habet communia; altiſſimam, quæ nihil*

Triplex paupertas ſecundũ Innoc. V. alta, altior, & altiſſima.

habet in proprio, nec in communi; dicimus quidem quod hoc dixit, non vt Papa, sed vt Petrus de Tarantasia. Eodem modo respondeo, si forte dicatur Innocent. verba illa dixisse tempore sui pontificatus.

Probat Bzouista aliquas Scoti opiniones esse censura notandas. *Gerson inquit, tom.1.in Epistola ad Religiosum quendam Minoritam, post tract. de examine docltinarũ, non obscure inuehitur in subtilitates Scoticas, vbi deplorat Ioannem Scotum de Theophanis, sic eum appellare videtur, prælatum esse S. Bonauent. & Alexandro Alensi.* Quam bene tibi, inter sanissimas Scoticæ doctrinæ partes, vlcera quærenti, quadrat illud Iustini, in Tryphone de Iudæis loquentis. *Soletis*, inquit, *sicut muscæ aduolare ad exulcerata, si qua inter plurima recte dicta, exciderint, & vel vnum quippiam, quod aut vobis displicet, aut non satis intelligitis, omißis cæteris egregie dictis, reprehendere, & quantumuis pusillum sit, tanquam impietatem insectari.* Pag. 57. xx.

Benigne lector rogo adi Gersonem, vt euidẽter iudices de manifesta impostura Bzouistæ. Gerson nec verbum facit de Scoto, sed dum deplorat quosdam subtiles præferri Alensi & Bonauenturæ, Scotum excludit; inuehitur enim in illos subtiles, quorum subtilitas non adeo sana fuit: *Nunquid*, inquit, *non insania concedere, quod duo cõtradictoria sunt simul vera pro eodem instanti temporis?* Quod nunquam asseruit Scotus, sed oppositum 1. d. 4. qu. 1. & d. 5. qu. 1. & d. 2. q. 9. Asserunt autem Nominales, in quos agit Gerson. Ipsum deplorare Ioann. Scotum de Theophanis, prælatũ esse Doctoribus præfatis, & per

Impostura aduersarij, quod in Scot. Gerson inuehatur.

hunc intelligere D. subtilem, impudens est impostura, duo apertissima continens mendacia: vnum, quia Gerson id non deplorat, vt intuenti patet; alterum quia per Ioannem dictum de Theophanes, non intelligit D. subtilem, sed alium, qui aliquot sæculis eum præcessit, cuius liber de Eucharistia in Concilio Versellensi damnatus est sub Leon. IX. simul cum Berengario; qui alio nomine dicitur Ioannes Erigena, de quo Baronius ad annum 1050. Trithem. de Script. Eccles. & author libri cui titulus Brigida Thaumaturga eum docte defendit à dicta cõdemnatione, *Inter recentiores*, inquit Gerson, *B. Bernardus, & Magister, cum reliquis protinus obstiterunt errantibus, sicut Petro Abaylardo, Berengario, Ioanni Scoto de Theophanes, Gilberto Porretano.* Vide lector imposturam Bzouistæ, quomodo per Ioannem de Theophanes, cuius erroribus obstiterunt Bernardus, & Magister, intelligi vult D. subtilem, qui duobus sæculis post Bernardum, & Magistrum floruit; cum tamen ipse fatetur fol. seq. hunc Ioannem non esse D. subtilem, sed vixisse anno 889. de quo Senens. lib. 4. Bergom. ad annum 879. Anton. 2. part. tit. 16. c. 2. §. 3. Trithem. de Script. Eccles.

Ioan. Scotus de Theophanis, falso dicitur esse Doctor subtilis.

Dubito multum an Bzouista Gersonem contra Scotum approbatum, in elogio de sancte Bonauentura post dictam Epistolam posito, approbabit? *Nescio*, inquit ille, *si præcipuus inter omnes Doctores numerandus sit Eustachius; ita enim nomen istud suum vulgatum, Bonauenturæ videor posse tradere. Ille singulariter inter omnes Doctores Catholicos, pace omnium salua, videtur idoneus ad illumi-*

Elogiũ Gersonis de D. Bonauentura.

nandum intellectum, & inflammandum affectum. Hic forte dicet notam inuri Doctori Angelico, cui Gerson Bonauenturam præfert. Sed inscite id diceret; ipse enim sanctissimus Thomas, Bonauenturæ sanctissimi doctrinam suspiciebat.

Asserit Gerson ibidem explosam esse Scoti distinctionem ex natura rei, quam ponit in Diuinis, & à pluribus Theologis periculosa censetur; inter quos Greg. de Valentia. tom.1. d.2. q.13. p.1. ait esse fidei parum consentaneam. pag. 57.

Scoti nullam facit Gerson mentionem: dicit, fateor, illam distinctionem displicuisse suis prædecessoribus; tu ais eam à pluribus Theologis periculosam censeri, & vnum tantum adducis Gregor. de Valent. & hunc mala fide, quia non asserit esse fidei parum consentaneam, vt tu ei imponis; sed ita quibusdam Theologis videri.

Displicet illa distinctio Gersoni, & Valentiæ; ideone censura digna erit? esto dicant illi censurandum, an continuo ferenda est pro ipsis sententia, non auditis Scoto, & Scotistis? Salua pace horum, de positiuis optime meriti, speculatiua non adeo penetrarunt. Id de Valent. mecũ fatebuntur eiusdẽ ordinis Doctores scholastici. Cõtrouersiis fidei examinandis, multũ insudauit, Val. necessitate Germaniæ id exigente; à speculatiuis abstinuit, vel leuiter ea tractauit. De Gersone res est manifesta: quot & quãta ipse dixerit, quæ alij censurant, non est præsentis loci, tractare. Præter Scotũ & suam scholam, tenent illam distinctionem in Diuinis, Durand. 1.d.23.q.1. & d.24.q.2. Occam cum suis 1. q.1. Marsil. q.6. Gab.1.d.2.ar.1.& 3. Ioan. de Ra-

da to. 1. cōtr. contr. 4. qui eam in Vniuersitatibus Parisiensi, Bononiensi, & alijs communiter à viris doctis doceri, scribit: Quod & ego Parisiis vidi, vbi nihil crebrius hac distinctione defenditur in thesibus publicis Professorum etiam sæcularium Vniuersitatis.

Scot. in report. d. 33 q. 2. citat. pro hac sentētia duos Doctores se antiquiores.

Gerson, per quem Scotum damnas, ibidem damnat aliquam prioritatem in Diuinis, præter originis: tamen D. Thomas 1. part. qu. 19. art. 1. ponit ibi intellectum priorem voluntate. & q. 16. art. 4. verum, prius bono. Damnat etiam asserentes ens non esse vniuocum entibus rationis, & entibus ad extra; tamen D. Thom. 1. part. q. 13. art. 5. ait non esse vniuocum omnibus realibus, & multo minus realibus & rationis simul. Alia ibidem reprehendit quæ à D. Thoma tenentur. Damna ergo Bzouista ex Gersone, D. Thomam cum Scoto, vel eius censura contempta, vtrumque libera.

Gerson censurat quadā D. Thoma asserta.

Adducit Molinam impugnantem opinionem Scoti de mulieribus resurrecturis in sexu virili, quam Castro, & alij erroneam vocant. Respondeo illam opinionem falsò tribui Scoto, cum sit additio ad eius textum, vt videre est in scholio P. Cauelli in 2. Scoti d. 20. qu. 2. R. P. Theodorus Smising. sacræ Theologiæ lector emeritus, & Prouinciæ inferioris Germaniæ Pater, cuius opera in lucem edenda auidè expectantur, in comitijs eiusdem Prouinciæ Bruxellæ habitis, publice sustinuit, Doctori Subtili talem opinionem affingere (cum non sit eius, sed alicuius, qui additiones ad textum eius adscripsit) mortalem esse detractionem. Sed cum magni facias censu-

Falsò tribuitur Scoto mulieres resurrecturas in sexu virili.

ram Molinæ, retorqueo eum in te 1. part. d. 18, m. 2. ait tuas præfinitiones Physicas (sic ille loquitur) repugnare scripturæ, & Ecclesiæ diffinitionibus, & m. 3. ait eas tollere libertatem arbitrij, *ac proinde errorem continere in fide.* Tu cum tuis, huiusmodi præfinitiones Physicas D. Thomæ esse asseritis, & fulmen illud Molinæ, quo Scotum feriri dicitis, vestris capitibus minime timetis.

Quæ censura (scilicet erroris) *à multis infligitur alteri cuidã opinioni Scoticæ, quæ asserit essentiã Sacramẽti pœnitentiæ consistere in absolutione; cõtritionem vero, & Confessionem esse dispositiones necessarias: de quo Ledes. de Sacrament. pœnit. cap. 1. Con. 2. docens hanc sententiam non posse his temporibus doceri, quia est contra Florent. & Trident.* Sed quia vidit suum Ledes. in hoc contemnendum, adducit *Bellar. lib. 1. de pœnit. cap. 15.* dicentem *si Scotus, & alij cum eo sentientes, hoc tempore superessent, Ecclesiæ definitioni acquiescerent.* pag. 58.

Scotus 4. d. 14. q. 4 & d. 16. q. 1. ponit pœnitentiam supponere pro absolutione, admittendo contritionem, & confessionem necessario requiri. sequuntur præter Scotistas, Maior. q. 2. Gab. q. 2. Dionys. Cister. d. 14. q. 2. Occam, Almaynus & alij: quæ sententia vera est, & Ledesmæ censura chymærica, sine vllo fundamento. Bellarm. quoque sententia, tot præclaris doctoribus non debet præiudicare. Quomodo autem contritio, & confessio dicendæ sint partes Sacramenti proprie vel improprie, non est huius loci docere. Vide scholium eius quem impugnas, ad d. 14. q. 4. XXIII.

Siqua hic censura locum habet, potius in tuum Soto ferenda esset, qui 4.d.14.q.1.ar.1.ait absolutionem non esse partem huius Sacramenti. D Thomas 3. part. qu.84. art. 1. & ibi Caietan. dicunt supponere pro actibus pœnitentis: cur eos non censuras? Trident. ſſ 13. cap.3. Scoto fauet, cum dicit: *præcipuam vim huius Sacramenti esse in absolutione*. Reperisti vnam vel alteram opinionem inter opera Scoti, ab vno vel altero doctore priuato notatam, & pro tuo zelo, eum cum ipsis damnas. Ego adduco varias conclusiones, quæ esse videntur D. Thom. ab Vniuersitate Parisiensi damnatas, & tu cum Caietano proculdubio respondebis, quod non transeunt Sequanam eius censuræ, & tamen Ledesmæ non tantum ipsius scholam, sed etiam totam Hispaniam, ipsumque Belgium inoffense persuadet censura: mira vis dictorum eius! iniquum porro foret alios quos ad id citas celeberrimæ vniuersitatum matri, Academiæ Parisiensi, hac in parte præferre. Prima ergo ex præfatis conclusionibus, reiecta ab hac facultate, eo quo subiicio ordine, est: *Quod Deus non potest multiplicare indiuidua in vna specie sine materia. Secunda, quod non potest facere plures intelligentias eiusdem speciei, contra fratrem Thomam. Tertia, Quod substantiæ separatæ nusquam sunt per substantiam, error: Quarta, quod alicubi tantum sunt per operationem. Quinta, si ratio recta, & voluntas recta, error. Sexto, post conclusionem factam de aliquo faciendo, voluntas non est libera.* Hæc, & plura huiusmodi contra D. Thomam expresse, vel saltem ex cõmuni Thomistarum sensu ipsi tribuenda, inter

Articuli Parisienses cõtra D. Tho.

articulos Parisiēses præmissos textui Magistri, & apud D. Bonauenturam ante libros sententiarum, reperies.

Imaginem Christi esse adorandam latriâ, docet D. Thom. 3. part. quæst. 25. art. 3. cor. cuius oppositum definiuit septima Synodus, act. 2. post Episto. Adriani, Act. 3. 4. 6. & Act. 7. in diffinitione fidei. Sed excusatur D. Thomas à multis, quod Concilium non viderit; ita post alios, recens eius commentator, doctissimus, Syluius ad dictum articulum.

Contra duas opiniones D. Thomæ determinauit Sum. Pontifex iuxta Catherin.

Ambrosius Catherinus Dominicanus libro 4. in Caiet. fol. 305. *Nam & cum de irregularitate scriberet aliquaudo B. Thomas, contra quod postea definiuit* Pontifex, *nullus fuit adeo pertinax, qui à* Pontificis *determinatione propter D. Thomæ doctrinam dissentiret. Sed recte ait commentator B. Thomæ, Quod si ea decretalis fuisset tempore B. Thomæ non scripsisset illud.* Et fol. 306. *Cum B. Thomas* Papam *dispensare non posse super voto religionis, clare docuisset, ipse tamen eius commentator, ita contra ad verbum scribit, teneo, &c.* Et paulo post. *Ex quibus constat cuilibet perspicacis ingenij, quod si tempore suo* (D. Thomæ) Pontifex *dixisset oppositum, verbo vel facto (vt postmodum fecit) quod ipsi quoque accommodasset rationem in obedientiam sedis Apostolicæ.*

Vide ipsum Caietanum de hoc. 2. 2. qu. 88.

art. II. vbi expreſſe fatetur ſi D. Thomas vidiſſet interpretationem Pontificis ad Decretalem, cum ad Monaſterium. de ſtat. Monachorum, quod illam ſententiam non ſuſtinuiſſet. Ratio autem D. Thomæ ibi, nempe quod ſemel Deo dicatum eſt, non poſſe amplius ad alios vſus cõuerti, ſi valet, probat quod nec calix, ne caſula, nec alia huiuſmodi, conſecrata, per Papam poſſint ad alios vſus deſtinari; quod nullus admittit. Prouoco te Bzouiſta cenſor; profer ſi potes, vel vnam propoſitionem Scoti, contra quam Eccleſiæ vel Pontificis decretum, aliquid definiuit.

pag. 58. *Vnde etiamſi hactenus publico Eccleſiæ decreto præfatæ Scoti ſententiæ damnatæ non ſint, nemo tamen eſt, quin ſi damnarentur, fateretur iure eſſe damnatas.*

Eccleſia non poteſt falli in dãnandis ſẽtentiis, quæ ſunt contra fidem vel religionem.

Quis Catholicorum dubitat Eccleſiam eſſe columnam veritatis? quis non agnoſcit in damnandis ſententiis quæ contra fidem eſſe cenſentur, infallibilem eſſe iudicem? num aliquando damnauit ſententias non iure? conditionalis tua tuæ conditionem ignorantiæ prodit; non Scotum vt intendis, ſed teipſum incautus mordes. Si Eccleſia damnaret aliquas ſententias D. Thomæ, imo ipſius Auguſtini, quis quæſo Catholicorum, non fateretur iure fuiſſe damnatas? cur ergo quod omnibus commune eſt, ſoli improperas Scoto?

Figmẽtũ eſſe, quod ſcribit Bzouius de morte Scoti.

Oſtendit vindex Scoti cap. 10. Apolog. merum eſſe figmentum quod Bzouius de morte Scoti ſcribit. Primo, quia ſic ait Rudolph. lib. 3.

Histor. Seraph. & apud eum Stomel. Secundo quia 24. scriptores adducti cap. 5. vitæ eius, nihil tale habent. Tertio, quia cum non in vrna vacua, in sed fossâ, terrâ postea oppletâ, sepultus fuerit, chymæricum est asserere quod mugitum ediderit, & caput ad saxum colliserit, quia sonum edi sine aëre, vel fractiones fieri sine mutatione locali, contra veram Philosophiam est. Quarto, adduxit Aubertum Myræum in Chron. ad ann. 1308. dicentem, *fabulosum mortis genus Scoto affictum, cuius nulla est Coloniæ memoria.*

Hæc & alia alto silentio, suo more inuoluit Bzouista, & tantum quærit, *cur non addis, quis sit iste Stomelius? non sine ratione subticuisti.* Hoc adduxit quod omnium erat minimum, vt lector deceptus nihil aliud adductum putaret ab interprete; hæc nimirum huius viri sinceritas. pag 59.

Probat illud genus mortis quod Bzouius imponit Scoto, ex authoribus vt, ait, Iouio antiquioribus, ex opere sex dierum edito ann. 1497. vbi, relato obitu Scoti additur, *Quamuis à plerisque putetur, quod viuus fuerit sepultus.* Ex Andræa Theuet Cosmographo Galliarum, *Legitur* (inquit) *eius mors fuisse stupenda:* Et ponit eam iisdem fere verbis cum Bzouio, & Iouio. Item ex Petro Opmerio, Bergomensi in supplemēt. lib. 13. Zuingero vol. 2. lib. 7. Mayol. diebus canicul. colloq. 4. Martino Delrio Disquis. Magic. lib. 2. qu. 29. sec. 2. & Genebr. lib. 4. Chron. pag. 693. cuius verba ponit, quia ait: *Nondum mortuum fuisse quando in sepulchrum illatus est, ferunt: sed duntaxat lethargo correptum; quodque innotuerit dum in gradibus mausolei deuoratis bra-*

pag. 59. *Argumenta pro fabula de morte Scoti.*

chys repertus est. Addatur, his, inquit, *Iouius*

Egregie profecto probas Scotum viuum sepultum fuisse, & postea fregisse sibi caput, ex scriptoribus Iouio antiquioribus, iuxta promissum: omnes enim à te adducti, sunt Iouio longe recentiores, vno vel altero exceptis, qui ipsi coæui fuisse videntur. Opus illud sex dierum, etsi prius Iouij operibus sit impressum, potuit esse posterius scriptum. Saltem dubium est quodnam horum prius scriptum sit, quia Iouius ab ipsa adolescentia suas nugas scriptitare cœpisse videtur. Edita sunt aliqua eius opera ante 100. fere annos ex Gesnero. Simile dubiũ de Bergom. Andræas Alciatus Epistola ante historiam Iouij consolatur eum merentem quod alium ei prætulerit Papa ad Pontificatum Commensem. *Scribis*, inquit, *te graui iniuria permotum*, &c. Mox. *Mirum profecto quod tibi doctrinæ, & ætatis honore maiora promerenti, in petitione pontificatus patriæ tuæ, Pontifex quendam prætulerit.* Data est Epistola ann. 1548. Et hinc patet fuisse tunc grandæuum, atque ambitiosum: 40. ergo annos antea scripsisse potuit, atque adeo ante 100. annos nugas forte scripsit. Cæteri citati sua ex Iouio desumpserunt, & plerique eum citant, vt Zuyngerus, Mayol, Delrio; & tamen aduersus Scotum eos citando, probas Iouium antiquiores se, secutum. Hic tuus candor, quia non veritatem, sed victoriam intendis, quam apud ignorantes, & rudes, subinde adipisceris.

XXV.

Iouius, anno 1548. grandæuus, & de ambitione notatus.

Ego fere omnes hos, contra te & pro Scoto iure adducere possum. Viderant quæ Iouius

(*venalis*

(*venalis cui penna fuit*) *qui obscurissimo cuique claritatem generis mercede pollicebatur, maledicentia ulturus qui eius nundinationi aduersaretur* (inquit, Scaliger in vita Cæsaris Scaligeri) in Scotum effutit, & tamen non approbarunt neque cum ipso asseruerūt nondum mortuum fuisse quando in sepulchrum illatus est; sed dumtaxat, *Legitur*, inquit Theuet: *ferunt* ait Opmerius: *Audio prædicari*, Zuyngerus: *teste Iouio*, Delrio: Genebr. *ferunt*: opus sex dierum, & Bergom. *putatur; Iouius tradit*, scribit Mayol. quasi dicerent, nos hoc non approbamus, nec dicimus quod Iouius; tantum dicimus ipsum sic dicere, & quia nobis non placet, non subscribimus.

Nullus eorū qui Iouium viderunt, eū sequuti sunt in fabula de morte Scoti, præter Bzouium.

Non te pudet citare vt assertores, qui tantum sunt relatores? sed tuum Bzouium secutus es, qui in secunda sui operis editione, hos citat, non tam contra Scotum, quam contra suam cōscientiam. *Ferunt, legitur, putatur, prædicari audio*, inquiunt isti authores: tu omnes absolute ais tenere Scotum viuum tumulatum, quod impostura est, & turpissima. Duo falsa asserta, hic habes Bzouista: alterum, Iouium secutum antiquiores, in describenda morte Scoti, nempe citatos, qui fere omnes sunt ipso longe iuniores: Alterum hos asseruisse Scotum viuum sepultū, bis mortuum, &c. cum id potius reiiciunt. Cauebit imposterum lector ne tuis citationibus fidem adhibeat, cum ei crebro iam imposuisse conuictus sis.

Falsificātur autores, pro confirmāda, ficta morte Scoti.

Dicam vnde origo huius horrendæ mortis Scoto impositæ. Partâ per ipsum victoriâ pro immaculata Conceptione Parisiis, renouant bel-

la Coloniæ discipuli Alberti Magni: mittitur eò Scotus tanquam bellator fortis, Marianæ puritatis honorem defensurus, cui obuiam priores ciuiaatis cum toto clero officij gratia processisse scribitur. Habentur variæ disputationes solemnes, & cum omnium applausu vincit Scotus, vel potius per Scotum Maria; cuius rei occasione, solemni omnium acclamatione denuo *Doctoris Subtilis* ei nomen imponitur: primo enim illud Parisiis obtinuerat, quod & Papa confirmasse scribitur, de quibus vide authores capite 4. & 5. vitæ eius, citatos. Scribit Gulielmus Vvorillon. 2.d. 44. quæst. 1. qui sequenti sæculo floruit, quod accepta Generalis ministri obedientia, *in prato Clericorum licet actu regens esset in scholis Parisiensibus, parua, aut nulla de rebus, forsan libellis, vel scriptis, habita dispositione, Parisiis exiuit; & interrogatus, cur non rediret in conuentum valedicturus fratribus, respondit. Pater Generalis iubet ire Coloniam, non redire in Conuentum ad salutandum fratres.* In quo, merito profecto laudatur eius obedientia: quamuis non dubitauerim, æque in hoc laudandum zelum propugnandi honoris virginis: festinabat enim præliaturus prælia Dominæ, per quam, victoriam gloriose obtinuit. Hæc victoria, & quia doctrinam D. Thomæ subtilissime impugnauit, multorum in eum cōcitauit inuidiam. Cumque in vita eius nihil reperiri poterat obloquiis obnoxium, in fauorem aduersæ partis, fabricatur prædicta fabula de eius morte, quod scilicet apoplecticus

Scotus mittitur Coloniam. primores ciuitatis cū clero prodeunt ei obuiam.

Scotus quomodo Doctor subtilis vocatus?

Rarum exēplum obediētiæ Scoti.

interijt: postea quod viuus sepultus: tandem quod in sepulchro caput sibi fregerit, spargitur in vulgus; & Iouius post ducentos, & eo amplius annos, scripto mandauit, maleuolorum figmentum: erat nimirum fabulis nimis addictus, de cuius mala fide in Historia vindex Scoti capite 7. Apolog. grauissima adduxit testimonia: quibus addo quod de eo scribit Gesner. in sua Bibliotheca. *Pasquillus quidam imperat Iouio, vt bona fide Historias conscribat.*

Alias fabulas Coloniæ sparsas in fauorem Scoti, & Minorum, scribit Veglensis in Apolog. contra Matenesium: nempe Scotum vicisse solemni disputatione Albertum Magnum, & cãpanam Prædicatorum hac pugna lucratum fuisse, ob idque eum sub campana sepultum. Item ante illam disputationem, Deiparam Scoto victoriam promisisse, mox disputandi sudorem abstersisse. Hæc autem, saltim pro parte, figmenta sunt; neque enim Scotus cum Alberto Magno, cui coæuus non fuit, sed cum discipulis eius, disputationes pro Virgine habuit, in quibus victor euasit: Et ideo merito ab eis scribendis, historici abstinuerunt. At fabulatores pro parte altera prudentiores in generatione sua, repererunt, sed tarde post 200. annos, Historicum fabulonem, Iouium dico, quem Bzouius vera dicentibus & Scotum laudantibus, præferre non dubitauit, quia Scotum ferit; cui, zelo quanquam forte non secundum scientiam, adaptauit Scotista quidam illud Alexandri in Cherillum.

XXVII. *Fabula, in fauorẽ Scoti, conficta.*

Inclususque necem cauea patiaris, & ille
Non profecturæ conditor historiæ.

Idem author scribit in Apolog. in Bzouium, incerto vulgi rumore ibi Albertum, non magnum, sed magum dictitari, quod procul dubio figmentum censeri debet: si tamen aliquis post ducentos annos illud litteris mandaret, eo probabilitatis loco, vel longe maiori haberetur, quo fabulosa mortis Scoti descriptio: & relator non parum se tueri contenderet, ex his quæ Bzouius de Alberto scribit ad an. 1248. Vbi ait Vvillielmum Regem Romanorum Coloniæ ab Alberto in Conuentu Prædicatorum conuiuio exceptum, die Epiphaniæ, cui hiemem in æstatem cõuertisse visus est, quia arbores dedit florescentes, & auiculas inter eas, volitantes, & cantantes; & hinc nonnullos iudicasse durius de Alberto non inficiatur.

Albertus Magnus excepit conuiuio Cæsarẽ, eique hiemem cõuertit in æstatem.

XXVIII. Ostendi Bzouista te mala fide dictos authores citasse pro comprobando Iouij figmento, quod ante te fecit Bzouius in secunda editione suorum operum; nullumque ante eum id asseruisse, vel post eum approbasse, præter Bzouium (de Vitali, & Latonio, inferius dicam.) Vlterius pergo ratione & authoritate, vrgere meram esse fabulam, quod Iouius, & Bzouius de Scoti morte asserunt.

Conuincitur quod dicitur de morte Scoti, merã esse fabulam.

Prima ratio. In ordine Minorum Coloniæ (idem proculdubio in aliis) non sepeliuntur fratres eodem ipso die, quo moriuntur: Corpora prius lauantur in choro, vel capitulo; nocte pro-

ximè ſequenti obitum, ſacris excubijs aſſeruantur; fiunt deinde ſolemnes exequiæ; altera vero die, oblato Miſſæ Sacrificio, alijſque Eccleſiæ officijs rite completis, ſepultutæ traduntur. Hæc autem in funere Prælatorum, Magiſtrorũ, aliorumque Patrum celebriorum, maiori cum ſolẽnitate peraguntur, & ſepultura ad ſecundas veſperas diei ſecundi ab obitu, remittitur maiori celebritate tunc pertractanda. Si credibile minime eſt quod veriſimile non eſt, quis credet hæc omiſſa in funere D. ſubtilis, Theologorum principis, ſcriptoris celeberrimi, & à pietate, ac ſanctitate vitæ laudatiſſimi viri? Quod ſi ita eſt, quis poterit credere viuum eum ſepultum, in ſepulchro reuixiſſe, caput ad Saxum alliſiſſe? Aſt alij, inquies, tanto vel maiori temporis ſpatio, pro mortuis habiti, poſtea reuixerunt. Sed id non probabis. Demus eueniſſe. Quis prudenter id credet ſine teſtibus omni exceptione maioribus, loco, & tẽpori vicinis? At Iouius huius rei primus ſcriptor, malæ fidei Hiſtoricus eſt (vt luculenter oſtendit Scoti vindex ca. 9. Apolog.) & procul inde diſtabat, degebat enim in Italia natiuo ſolo, & annis ab illo tempore, multo remotior, nempe ducentis Scoto poſterior. Itaque in re tam graui nulla ipſi fides adhibenda.

Cæremonia, quibus ſepeliuntur ff. Minores.

XIX. *Minores in Prouincia colonienſi, ſepeliri ſoliti, foſſa, terra oppleta.*

Secunda ratio. ff. Minoribus in Prouincia Colonienſi vrnæ vacuæ, aut ſepulchra concamerata in vſu non fuerunt, ſed terra vndique fratres mortuum contegebant; inſignioribus vero patribus ſaxa ſupponebant, vt bene oſtendit Mathæus Vegl. in Matheneſ. & Bzouium, &

melius suadetur experientia de præsenti; deinde quia nulla exstat memoria istiusmodi sepulturâ fratres vsos olim fuisse. Sed mugitum edere, & caput ad Saxum collidere in oppletis terra fossis, impossibile est, vt ostendit vindex Scoti capite 9. Ergo hæc euenisse mera figmenta. Si dicas ob reuerentiam tanti viri, vrnam vacuam, vel speciale sepulchrum confectum fuisse. Patet hoc gratis dictum: primo, quia cum mors Scoti fuerit improuisa, vt fingitur, non potuit ante eam aptari; si autem post, mirum est quomodo interim Medici qui satis celebres sunt in dicta Vniuersitate, mortem fictam non deprehenderint. Secundo, ex Trithem. in Chron. Hirsaug. anno 1308 Scotus primo sepultus fuit ad introitum Sacristiæ Conuentus Coloniensis; sed postea trãslatus fuit ad locum nobiliorem, medium Chori, ex Chron. Colon. edito ann. 1499. constat autem hoc secundo loco, nullum fuisse sepulchrum concameratum, quia ann. 1619. coram viris grauissimis, & testibus omni suspicione carentibus, effossa sunt ossa Scoti, & sepulchrum terra oppletum sine vlla concameratione est inuentum: de quo Veglens. supra. Neque est vlla verisimilitudo vacuam habuisse vrnam in primo loco ignobiliori, qua in nobiliori caruit. Et præterea, quia ibi non est reperire vllum vestigium talis vrnæ, vel antri inanis: Fabula ergo est & chymæra, quod Bzouius cum Iouio contra Philosophiam, & omnem verisimilitudinem confingit, de mugitu, & collisione capitis Scoti.

Ratione ostẽditur figmẽtũ esse, quod Bzouius de morte Scoti scribit.

Tertia ratio. Quæro vel aliquis audiuit Sco-

tum ſepultum, pulſantem, mugientem, caput ad ſaxum collidentem, vel non? ſi Secundum, fabula eſt eum hæc feciſſe; ſi primum, impij fuerunt & crudeles, qui non ſtatim ad ipſum liberandum accurrerũt; ſi non adeo bene rem intellexerunt, quomodo tam horrenda mors viro tam celebri, tam libere eſt afficta? Neque dici poteſt dum in ſecundũ tumulum inferretur, hoc innotuiſſe; quia fere ducenti anni ab eius morte, in corporis tranſlationem effluxerunt, ex Vegl. poſt tanti autem temporis curſum, quid huic fabellæ colorandæ deſeruire potuit?

Idem ſuadetur authoritatibus rationi innixis. Scriptoribus Germanis, de morte Scoti quæ in Germania contigit, adhærendum, non Iouio, & aliis poſt eius fidem abeuntibus, qui loco & tempore multum diſſiti fuerunt, nec eius rei geſtæ, niſi ab ipſius morti præſentibus, certam habere notitiam potuerunt. At Trithem in Chro. & A. Milmanus in Chron. Colonienſi, Germani, ſequenti poſt Scotum ſæculo ſcribunt, & in rebus Colonienſibus occulatiſſimi, annum, mẽſem, diem, & locum obitus Scoti exacte ponentes, nihil referũt de illo horrendo Bzouij & Iouij figmento. Neque veroſimile eſt eos tam inauditum mortis euentum, ſi ita incidiſſet, abſcondere poſteris vllatenus voluiſſe. Guilielmus Eſingrenſ. in Catal. teſtium verit. de hac re nil meminit, & Veglenſ. in Iouium ait Neremburg. in Chron. nullam eius rei mentionem facere, cui in idem iungit Bergomenſem. Porro Aubert. Myræus Germanus dicit fabuloſum genus mortis à Iouio, Scoto affixum. Et Dominus Stepha- XXX.

Scriptores Germani, diem, & locum, obitus Scoti ſcribẽtes, nihil habent de figmento Bzouiano.

nus Broolmon. antiquitatum Coloniensium perscrutator indefessus I. V. Doctor & Canonum Professor (apud Veglens. in Iquium) computat Iouij, & Genebradi de Scoto dicta, inter fabulas. Quamuis Genebr. fabulam tantum referat, non approbando, vt supra notaui. Vno verbo, nullus Germanorum huius rei meminit.

Elogiũ Anton. Andreæ de Scoto.

Item Anton. Andræas Scoti auditor ad calcem 12. Met. 12. circiter annis post Scotum defunctus: *Secutus sum*, inquit, *doctrinam illius excellentissimi Doctoris, cuius fama, & memoria in benedictione est, qui in sua sacra, & profunda doctrina totum mundum adimpleuit.* Barth. Pisan. *eodem sæculo confor.* II. *cart.* 113. *Coloniæ ircet Doctor subtilis frater Ioannes Scotus, qui ibidem lector decessit.* Eundem, vocat magnum & bonum Doctorem, *cuius memoria* (inquit) *erit perpetua.* Gulielmus Occam Scoti auditor, summus tamen Scoti aduersarius, qui toto conatu eius doctrinam labefactare satcgit, numquam tale mortis genus ei improperat, sed 1.d.2.qu.6. *Alios omnes subtilitate iudicij excelluisse* scribit. Hi, eodem quo Scotus, sæculo florentes, talis mortis si contigisset, aliquam, saltem leuem, fecissent mentionem.

2 sæculo post Scotũ, nullus de horrenda morte fictitia, loquitur.

Sequenti sæculo Guillelmus Vorillon in Epilogo super 4. sentent. miris laudibus Scotum extollit. De eius morte loquitur, sed nihil de figmento. Sanctus Antoninus, duo Memoria-

lia ordinis, & alij eodem sæculo, de eo loquuntur; nihil tamen de hoc habent.

Adduxit Scoti vindex capite 5. vitæ eius, & cap. 11. Apolog. 25. circiter scriptores præclara de Scoto loquentes, quorum nullus cum Iouio sentit. Si ergo omnes scriptores Germani, quibus præ aliis credendum est, nihil de hac re tradiderunt, quinimo aliqui ex eis, vt Myræus, & Broolmon. fabulam dixerunt: Si nullus scriptorum, etiam aliarum nationum primo, vel secundo post Scotum sæculo, de talis mortis genere quicquam asseruit: non nisi inter fabulas, huiusmodi relatio censeri debet. Hic certe valet argumentum ab authoritate negatiue. Si reperiatur aliquis ante Iouij tempora, qui aliud sine assertione refert, vt fabulam refert. His accedit publica attestatio tabellæ olim ad sepulchrum Scoti appensæ, in qua sequentes versus inscribuntur, ex Veglens. in Matenes.

Tempora post Christi, propria dulcedine lethum
Venit atrox raptim carcere composito.

Quomodo propria dulcedine veniret lethum, si sibi violenter Scotus vitam abstulit? si caput ad saxum impegit? alia tria Epitaphia lege apud Tossinianum in Historia Seraphica lib. 3.

Viuum tumulatum esse, tu ipse contra te probas testimonio sancti Bernardini. pag. 62.

Id asserit vindex Scoti; & potuit. S. Bernard. XXXII. fabula illa Coloniæ fabricata, ad ipsum in Italiam relata, decipi; sed tu solita fide, quod in

S. Bernard. deceptus videtur de morte Scoti, rumore fabulæ, ad ipsum delata.

Scoti fauorem scripsit, prætermittis. Ille de oratione extatica à sensibus abstracta agens, adduxit exemplum de Scoto, tali orationi dedito, quem in eadem tumulatum fuisse putat: quod, Scoti gloriam nihil minuit, sed potius auget: Non enim ait sanctus Bernardinus ex apoplexia viuum sepultum, criminis alicuius pœnam luisse, in sepulchro reuixisse, mugisse, caput cōfregisse, vt tu cum Bzouio imaginaris. Mihi ex allatis videtur bene concludi sanctum Bernardinum fuisse deceptum, ad quem fabella illa uenit, sed cum alis orationis extaticæ, vt facilius spargeretur alibi ex apoplexia, & cum aliis horrendis circumstantiis. Gonzaga id ipsum asserens, eodem modo deceptus est. Si tu Ioui cum his in oratione extatica, Scotum tumulatū assereres, nobis tecum pugnandū non esset, quia siue verum id, siue falsum esset, iniuria careret.

Pag. 63. *Vis Cardinales aut Pontifices Franciscanos? Eccum. Constantinus Sernanus S. R. Ecclesiæ Cardinalis, logicalia Scoti, & inter hæc vitam eius à Cratepolio scriptam, summo studio recognitam Sixto V. dedicauit. Cum nec Cardinalis, nec Pontifex damnauit, Scotum viuum sepultum, non inficiantur; ait enim Cratepol. Cum autem morbi ignari, eum pro mortuo haberent, constanter assertum est eum viuum sepultum.*

XXXIII. Mala fide semper nobiscum agis. Cardin. Sernanus vir doctissimus, & de schola Theologorum optime meritus, recognouit logicalia Scoti. Quod vero vitam illam Cratepolij recognouerit, tuum est commentum ex Bzouio in secū-

da editione, eiuſdem tecum fidei, deſumptum. Nullam facit illius vitæ mētionem. Qui librum curauit imprimi, vel impreſſor, illam forte præmiſit: quia moris eſt authorum vitas operibus præfigere. Quod ais Papam cenſeri approbaſſe, contenta in libro ſibi dedicato, vanum eſt & futile. Sed eſto dedicata approbaſſet, vitæ illius nulla mentio eſt in dedicatis. Sed & aperte falſum eſt Cratepolium aſſerere Scotum viuum tumulatum; tantum enim aſſerit illud aſſertum fuiſſe; ſcilicet, vel à Iouio, vel aliquo alio fabulone.

Libri dedicati pōtifici, non approbantur ab eo.

Ego aſſero te multa falſa tuo libello aſſeruiſſe; non tamen aſſero falſa, ſed veriſſima. At eſto id aſſereret, quod verum non eſt, (Et idem dico de Gonzaga) Iouium deceptus ſequeretur. ſic Gonzaga, & Sedulius noſter Scotum vocant Scotinum, decepti per tuum Senenſem, qui pro ſua in Scotum deuotione, primus nomen illud ipſi attribuit. Omiſiſti adducere Toſſinanum, quem Bzouius cum præcedentibus citat: *Fere eadem,* inquit, *habet Toſsinanus in Annal. Frāciſcanorum.* Sed manifeſta eſt impoſtura, cum hic author dicat fol. 330. *Nihil impudentius, nihil inconſultius, quam id aſserere*, Scotum viuū eſſe ſepultū, *cum eius rei nulla habeatur mentio nec literis ſcripta, nec epitaphijs inſcripta.* Quæſo qua fide digni ſunt libri Bzouiani, huiuſmodi impoſturis referti? ſed potius quot cenſuris notandi, donec expurgentur? Facile eſt ingentia volumina cudere, ſi falſa falſis, & mendacia mendaciis impune probare licebit.

Toſſinanus falſo citatur de morte Scoti.

Pag. 61. Adducit Ianum Vitalem apud Iouium canentem:

Quod nulli vnquam hominum accidit, viator,
Hic Scotus iaceo semel sepultus,
Et bis mortuus.

Similia carmina ex Latono profert, apud eundem:

Quæcumque humani fuerant, iurisque sacrati,
In dubium veniũt cuncta vocãte Scoto &c.

XXXIIII *Vitalis, & Latomus, ignoti authores.* Respondeo hos authores ignotos esse: neque enim iste Latonus est ille Doctor Louaniensis qui plura docte, & piè scripsit. Neque quidquã de eo reperio apud Posseuinum, Bellarminum, Gesnerum, Senensem, Bibliotecam classicam, aliosque qui scriptorum catalogos contexuerunt. Quantum ex temporum, & geniorum ratione cõijcere licet, isti ad fistulam Iouij tripudiabant, laudabant, vituperabant, fingebant ad ipsius libidinem: vel ille, vt solus sine complicibus & criminis socijs, non incederet, ipsorum nomine carmina formabat, suis elogijs conformia. Coniecturam hanc confirmat, quod elogia horum nominibus posita, nullibi reperire potuerim. Iouius enim eius erat indolis (ait Scaliger supra citatus) *quod obscurissimo cuique claritatem generis mercede pollicebatur; maledicentia vlturus, si quis eius nundinationi aduersaretur; quod quidem expertus est Annas Momorantius Comes stabuli Franciæ, &c.*

Latonium iſtum vt de fide ſuſpectum habet Veglen. in Iouium

Præterea falſum eſt quod ait Vitalis; nullum ſcilicet vnquam ante Scotum viuum ſepultum. S. Gero Epiſcopus Colonienſis ſic ſepultus fuit fraude Vvaltami Epiſcopatum ambientis, vt multis citatis docet vindex Scoti cap. 10. Item Ariſtes quidam, ex Sabellico libro 7. exempl. cap. 4. Item Oppia Veſtalis virgo, ex Zuyngero, & Minutia item Veſtalis ex liuio lib. 8. Zeno item Imperator viuus ſepultus eſt, ex Zonara in Baſiliſco. Quot, bone Deus, viui ſepeliuntur quotannis niuibus Alpium? *Varij, viri ſepulti.*

Neque hinc inferas, idem, quod his, euenisſe Scoto, vel id eſſe credibile; quia niſi certiſſima relatione de his haberetur, nemo crederet. Præterea ex malitia Vvalrami, ſanctus Gero ſic ſepultus fuit. Et procurante vxore Zenonis, ipſe viuus tumulatus eſt. Oppia & Minutia ob crimina, tali ſepultura punitæ fuerunt Sed nihil horum locum habet in Scoto, cuius Epiſcopatum nemo ambiebat: qui vxore carebat: quem nulla ſententia damnabat. Quod ergo in hoc, de alijs credibile & creditum eſt, de Scoto incredibile manet. Et qui illud credit, certe leuis eſt corde.

Appello lectorem, iudicet ſi fideliter reſumpſerim omnia, quæ aduerſarius ex ſe, Bzouio, & Iouio adduxit pro comprobanda fictitia & horrenda morte Scoti; quem rogo iudicet etiã an ſolidè ſint refutata, ac vera eſſe figmenta, patefactum? & innocenti Scoto ſuum reſtituat honorem, quem inique ſurripuerunt inuidi male-

uolorum calami. Quod si etiam ita Scoti mors contigisset, vt isti fabulantur, nihil per hoc eius honori tolleretur nisi forte apud animos imperiti vulgi, vt fusè ostendit interpres ca. 10. vitæ, adductis variis exemplis de insolito quorundam Sanctorum exitu. D. Thomas ex Bzouio ad annũ 1274. apud sororem Theodoram triduo abstractus fuit à sensibus, idque ei solitum testatus est eius socius. Si contingeret ab eius rei ignaris sanctum virum pro mortuo tumulari; quis sine sacrilega temeritate, quidquam ex hoc, de eius vita sinistre sentire auderet? *Iustus quacumq; morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Temeritas ergo malitiosa videtur Scotum ex tali mortis genere (esto res ita se haberet) criminis pœnas luisse.

Scotus, si viuus sepultus esset, non ideo eius sãctitati detraheretur.

D. Th. triduo a sensibus abstractus.

EXAMEN,

Capitis XI.

pag. 64.

1. BZouius postquam acerbitatis suæ virus in Scotum euomuit, & iniurias, ac maledicta, in vitam & mortem eius cumulauit, ne tot acerba conuitia ex alijs adducta approbare videretur, subuingit. *Sed hæc in eum iniserint alij.* Vrget vindex Scoti ipsum male se excusasse; primo quod omnes scriptores Scoto fauentes (ex quibus ipse 24. c. 1. vitæ eius adduxit) siluerit; solumque

Bzoui⁹, pueriliter se excusat, de iniurijs in Scotum illatis.

Iouium, in eum iniquum, ſuis annalibus inſcripſerit; Ex quo conuincitur optaſſe, Scotum talem ab alijs æſtimari, qualem eum Iouius depinxerat. Secundo, ſi quis alius hiſtoricum agens Eccleſiaſticum, omnes bene ſcribentes de ordine prędicatorum taceret, & alicuius male ſani ſcriptoris, in eum contumelioſa dicta referret; nemine interim pro contrario, adducto, conuinceretur fraudulenter infamare voluiſſe ſanctum ordinē. Sed idem eſt de Bzouio in caſu præſenti. Tertio infamia carmina adducit contra Scotum, nullius pro hoc expreſſo authoris nomine; & edoctus per apologiam pro Scoto, in ſecunda editione ad marginem, Sixtum Senēſem adnotauit, quem prius fraudulenter ſubticuit, vt lectori imponeret: de quo Scoti vindex c. 4. apol. Quarto, quia addidit tria mendacia ijs, quæ Senenſ. in Scotum ſcripſit, vt aperte probatur c. 5. apologiæ.

Ex quibus manifeſte apparet recte P. Cauellum, coarguiſſe Bzouium; quod puerilem illam & vanam adduxerit excuſationem, quaſi ipſe prædicta in Scotum non aſſereret, ſed tanquam ab alijs aſſerta, referret. Adduxiſſet quidem illa: factum non improbo. Sed tanquam arbiter omnibus æquus ex tanta authorum multitudine aliquos pro Scoto loquentes aduocaſſet, quibus, eum ab iniurijs vindicaret, vel ſaltem, fidem Iouij conuitiantis, dubiam redderet. Hoc cum præſtare fecit pro ſuo Bernardo Cæſaris interfectore, non candor hiſtorici, ſed præoccupati affectus impulſus, & ſupra quam deceat, hiſtoriæ vniuerſalis ſcriptorem, nimia ſuorum ſolli- 11.

citudo. *In eum*, inquit, *hæc alij luserint*, & Bzouista pag. 15. ait, ioci gratia illud de morte Scoti à Bzouio dictum. Attende rogo benigne lector: Lusus sunt & ioci Bzouio & Bzouistæ, sequentia in Scotum prolata maledicta.

1. *Christianis dogmatibus illusisse.*
2. *Fidem sacrarum rerum confudisse.*
4. *Immortales lites inter Christianos conseuisse.*
5. *De omni iure humano, & diuino dubitasse.*
6. *Criminis occulti vel manifesti pœnas horrenda morte luisse.*
7. *Viuum sepultum fuisse.*
8. *Mugitum edidisse, & caput sibi confregisse.*
9. *Ingenia Franciscanorum distorto ad veritatem itinere perdidisse.*
10. *Eius patriam excolendis ingenijs importunam, & ineptam esse.*
11. *Eius gentem vecordissimis Schytis, ruditate pares esse.*
12. *Eius doctrinam, erraticam, labyrinthicam, mille vijs dolosam, & sequentium in errores inductiuam esse.*

Hæc omnia lusus Bzouij cum Scoto, nimirum felis cum mure. Ad rationes quibus vrgetur Bzouium inexcusabilem esse, Bzouista nec verbum dicit; sed contra id quod ait interpres: *Nugaris Bzoui, ista pueris persuade*: occurrit probans non

non esse nugationem, nisi quando fit syllogismus ex vno termino in præmissis & conclusione repetito; & conficit syllogismum caballinum ex, ly, caballus, sic repetito, quia forte non retinet ex logica artem conficiendi humanum.

Interpres. *Ostendi c. 5. illud epigramma esse tuum &c.* Bzouista: *Teneo Leporem, caballum inquã exerrantem reduco: fatetur tandem prædicta omnia esse Iouij.* Mirabilis libido hominis ad imponenda falsa. Dicit interpres carmen illud infame esse Bzouij, & Bzouista imponit lectori, quod iam fateatur esse Iouij. *Ego* (inquit) *omnem calumniã discussi c. 6. & quatenus intelligendum sit, explicaui:* profundos profecto sensus ex verbis Bzouij interdum eruis, Bzouista, sed periculosos, sed piarum aurium offensiuos, vt ego ibi ostendi. pag. 65.

Constat modo hisce animaduersionibus quàm cæco & effræni in Bzouium impetu iuerit interpres, cuius libellum nemo vnquam modestus adspiciet. En modestia religiosi iuuenis; qui tamen maxime cauet, si ipsi credimus nevllum, sibi conuitium excidisse videatur. Si omnis libelli inspector immodestus est, profecto Iansenius omnem exuit modestiam, qui toties procul dubio libellum adspexit. Porro non cæco (vt calumniaris) impetu, sed satis oculato & perspicaci in Bzouiũ iuit interpres; quia directe scopum petijt, & confodit centrum mendaciorũ & calumniarum Bzouij in Scotum. pag. 66.

Petijt interpres veniam à Scotistis, *Si remissius communis magistri innocentiam, & honorem propugnauerit; si ipsius famæ detrahentem, omnibus viis iustis non momorderit*: & ne de immodestia no- pag. 66. IIII.

taretur, ſubiunxit (quod tacuit Bzouiſta, ſolitâ ſinceritate) *aliqua dixi volens nolens (vt Bzouij phraſi vtar) à quibus libenter abſtinerem, niſi exorbitantia iniuriarum, & conuitiorum impellente, ad mediocrem modeſtamque tutelam neceſſaria viderentur.*

Conuitia Bzouiſta enormia.

Occurrit Bzouiſta ſua modeſtia. *Tenetur, tenetur, vel hic ſi vnquam; manifeſte arguendus eſt; ironice loquitur, vel hypocriticè. Scit quot infames contumelias euomuerit, & videri vult modeſtus: non auſus fuit eloqui, ſumme petulans, & immodeſtus.*

Hęc tua modeſtia, Bzouiſta, cui nullum vel apparenter (vt proteſtaris) videri vis excidiſſe conuitium. Si hæc conuitia non ſunt, ſi maledi-cta, ſi contumeliæ non ſunt, vbi inuenientur? P. Cauellus lector Theologiæ emeritus eſt, varijs officijs in ordine Minorum functus; nunc vero eiuſdem ordinis Diffinitorem generalem agit, & à te iuuene fratre, grammatices lectore, immodeſtus, & ſumme petulans appellatur: hoc conuitium non æſtimas? quæſo quid erit tibi conuitium, ſi hoc non eſt? Sed vbi conuitia ab interprete irrogata? Cur ea non profers ſicut & ego tua protuli? Hic fere finem imponis tuo maledico & infami libello: Et contra contumelias, & conuitia clamas, cum nullum oſtenderis. Mendacia Bzouij reijcere, eius fraudes detegere, & eius in Scotum iniurias propulſare, conuitia non ſunt, nec aliud quidquam præſtitit interpres. Teſtis tuus libellus, qui nullum conuitium in particulari refutat, vel refert.

Aduerſarius nullum conuitium, refert vel refutat.

Hic finem facis propugnationis Bzouij, & tranſis ad Raymundum Lullum, Bzouijque in

eum, iniurias confirmandas. Sequar te eò: sed prius refutabo quæ in tuo supplemento, contra P. Cauellum iniuriose, & infideliter profers, ne iterum ad hæc mihi veniendum sit.

EXAMEN SVPPLEMENTI.

Benigne lector supra c. 1. quædam certe contumeliosa exciderunt interpreti, quæ in hanc partem extremam à me sunt reiecta. Ita ait. Dedit Deus ordini prædicatorum sanctissimum fundatorem, dedit & celeberrimum doctorem: horum inuidia non patitur talia data optima, & dona perfecta à patre luminum ordini Minorum esse concessa. Pag. 81.

Vbi quęso hic reperies illa contumeliosa, quæ in calcem tui operis reiecisti examinanda? *horum inuidia non patitur: Forsitan Bzouium*, inquit, *ferire putas, sed quotquot sumus innocentes acerbo vulnere transfigis.* mox. *Horum*, inquit, *inuidia. Quorum? omnium prædicatorum.* V.

Nihil minus cogitauit interpres, quam contumeliam vllam in S. prædicatorum ordinem proferre. Sed tu pro solito more minus sincere incedis. Non dicam te mentiri, sed contra mentem ire, euidentissimum est; audi, & fatere, quod negare non potes. Præmisit vindex Scoti, ibi. c. 1. *Maioris notæ profundiorisque doctrinæ Thomistas*, honorifice de Scoto loqui, sed non deesse homines crassioris cerebri qui *eum pũgunt, mor-* *Impostura aduersarij detegitur.*

dent, lacerant; De quibus subiungit. *Horum inuidia non patitur, &c.* Hæc tu vidisti, legisti, & exanimasti; & contra conscientiam non times asserere, hic ab interprete totum ordinem prædicatorum de inuidia notari: *Horum inuidia: quorum? omnium Prædicatorum.* Erubesce quod in singulis pagellis, in furto deprehendaris. Obserua imposterum diligentius quod tradit S. Thomas. 1. 2. q. 19. art. Ex Apostolo, *omne quod non est ex fide* (id est conscientia) *peccatum est.*

Omne quod non est ex fide, peccatum est.

pag. 82. Interpres. ***Sed neque ipsi Seraphico fundatori olim, maximè quoad sacratissima stigmata, tales linguæ pepercerunt.***

Bzouista. *Videris perstringere fratrē Vincentium Iustinianum antistitem Conuentus Valentini, &c.* Quia hic propugnat Catharinam Senensem depingi posse cum stigmatibus: & ponit ad longum, capita disputationis, quam pro hac causa edidit.

VI. Puerorum more laruas tibi formas Bzouista, quas impugnes. Satis recens author est Vincentius, vel hoc nomine laudandus, quod plurima passus sit à suis confratribus, quia pro immaculata Conceptione scripsit. Tu licet iuuenis, eum videre potuisti; quomodo ergo eum comprehenderet interpres sub linguis, quæ olim non pepercerunt Seraphico Francisco? vel quomodo non parcitur Francisco, quia asseritur Catharina stigmatica? Sed quia tibi placuit speciosam illam disputationem pro sancta Catharina Senensi tuo libello intexere, fingis contra verba citata, & rationem, interpretem intendisse fra-

P. Vincenti⁹ Iustin. laudādus, quia plurima passus, quia scripserit pro conceptione Virg. immaculata.

ter Vincentium, impetere.

Non somniauit de P. Vincentio, sed de aliis, quos ob modestiam non nominauit. Vide bullam Gregor. IX. contra fratrẽ Euchardum ordinis Prædicatorum, qui dixit stigmata in sancto Francisco non fuisse, in spec. Min. tract. 2. f. 4. & apud Roderiguem in Bullario. bull. 8. Gregor. vide eum tom. 2. qq. Reg. quæst. 69. art. 2. *Greg. IX. dedit bullam cõtra quẽdã prædicatorẽ, qui obloquebatur cõtra S. Francisci stigmata.*

Item Pontifex durius excepit quendam Episcopum, quod sanctum Franciscum cum stigmatibus depingi prohibuit, in spec. Minor. tract. 2. f. 20. Eadem de causa dedit Alex. IIII. aliam bullam præcipiens omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, compescere obloquentes de stigmatibus sancti Francisci, ibid. f. 21.

Non est præsentis loci ostendere, quod facile fieri posset, depingentes sanctam Catharinam cum stigmatibus, excommunicationem incurrere. Sixtus IIII. id per sanctam Obedientiam, & sub pœna excommunicationis Pontifici reseruatæ, prohibuit ibid. fol. 46. habetur bulla authentica in Conuentu sancti Francisci Salmanticæ. Vide Roderig. in Bullario, bulla 6. data anno 1472. rationem assignat Sixtus, quia Pius II. in bulla Canonizationis S. Catharinæ, alias eius prærogatiuas, & magnalia referens, nullam fecit huius rei mentionem. Dedit aliam bullam anno 1475 ad eundem finem, prohibẽs in vniuersum, sub censuris, nemo sanctorum præter sanctum Franciscum cum stigmatibus depingeretur, sine Ecclesiæ licentia speciali: quarum bullarum censuras non esse reuocatas, *Depingentes S. Catharinã Senens. cum stigmatibus, an excõmunicentur? Quare S. Catharina Senen. non depingenda, cũ stigmatibus?*

probat Roderig. tom. 2. q. 69. ar. 2. & habetur in monum. Ord. 1. impress. f. 140.

Hic non est opus disputatione tam egregia pro stigmatibus sanctæ Catharinæ depingendis, vt tota multitudo confratrum tuorum, quorum texis litanias, eam approbauerit. Profecto tot approbationum necessitas, aliquod suspicionis ministrat argumentum. Vnum porro necessarium erat, nempe, cum nemo diffiteatur præfatas bullas Sixti datas esse, ostendere, fuisse reuocatas. Hoc Vincentius non præstitit, quia non potuit. Quo semel ostenso, omnis hac de re controuersia cessaret. Quoties circa hoc litigatum in Hispania, & in Italia? quoties prouocatum, vt ostenderetur authentica reuocatio, qua finis litibus imponeretur? quoties in vrbe per vestros laboratum vt obtineretur? Hucvsque nihil adducere potuistis, quo certò constaret de huiusmodi reuocatione. Clarum est potuisse successores Sixti reuocasse præfatas bullas, & censuras; quæstio non iuris, sed facti est, quæ non eget magna subtilitate; num reuocarũt, vel non? nos negamus, vos asseritis: Et à tot annis lis hæc indecisa depẽdet, manẽtibus interim Sixtinis bullis in suo vigore, quia nihil authentice proferri potuit de earũ reuocatone. Si de hoc cõstaret, quis sanæ mentis ita contra D. Catharinæ stigmata depingenda pugnaret, vt excommunicatos assereret depingentes? qui enim ita pugnant, præfatis bullis se muniunt. Vt lector ad oculum videat quam recte sequeris modestiam Bzouij, & in minores affectum, occasione mentionis de Catharina incidentis, adduco eius dictum ad an. 1376.

Censura cõtra depingẽtes s catharinam senẽs. non sunt reuocata.

num. 29. relatis tribus insignibus prælatis, qui deputati erant ad examinandam sanctam Catharinam: *Quorum*, inquit, *vnus erat Archiepiscopus minorita longe doctißimus*. Subiungit, *& quamquam minorita ille Archiepiscopus (quod solent aliqui de stercore ad dignitatem euecti) pharisaico supercilio illius responsa primùm despiceret, vellicareque argutijs doctam simplicitatem voluißet, tamen humilitate Catharinæ victus, in virgine Spiritum Sanctum agnouit.*

Contumelia Bzouij intollerabilis contra Archiepiscopũ quendam minoritam.

Qualis Magister talis discipulus, tam in modestia Bzouiana, quam in affectu erga Minoritas.

Gloriaris quod officina Plantiniana elegantibus typis excudit illam disputationem: in quo accusas ff. Minorum negligentiam, qui impressioni non restiterunt, vt poterant virtute Bullarum Sixti. Sed in hoc laudandi quod pacem cum suo etiam præiudicio, colant. Certe quæ tu ex illa disputatione Vincentinâ, capita adducis, non sunt tanta laude digna, imo refutatu facillima. Verum hoc à nostro instituto alienum, sicut & à tuo fuit Vincentium nobis adferre: cum meridiana luce clarius sit, interpretem de Vincentio non cogitasse. Sed prudentius illam disputationẽ omisisses, cum nemo ei obstiterit, quia per hæc pauca obiter dicta, constat quã male sit fundata.

Disputatio pro S. Catharina Senensi cũ stigmatibus pingenda, potuit, & debuit a prælo repelli.

Die 10. *Kalend. Febr. anno* 1621. *Paulo V. Pontifice Max. Ferdinando XI. Imperatore Opt. inter decreta sanctæ Congregationis Indicis relatum est, vitam, & Apologiam Scoti*

ab H. C. operibus Scoti apud Kerbergium Antuerpiæ, præfixas, damnatas reprobataſque cenſeri, donec expurgentur. O quantum fulmen! &c.

Magna Calumnia, talem prohibitionem fingere.

Grauis accuſatio ſine vllo teſte; nonne pœnam talionis mereris Bzouiſta? vnde quęſo probas ſanctam Congregationem inuſiſſe tam grauem notam authori vitæ, & Apologiæ Scoti? Tuo ſolius dicto, quem toties de corruptelis, & impoſturis conuici; ego nego falſum tuum, & contumelioſum aſſertum: neque negatiuam iure probare teneor: tu, non probando affirmatiuam, talionis pœna damnandus venis.

IX. *Variæ oppoſitiones Dominicanorũ, contra Apologiam Scoti.*

Sed tibi ſupra debitum oſtendo, quam parum veroſimile ſit quod aſſeris, & conſequenter quam parum fide dignum. Agitaſtis litem de prohibenda dicta Apologia coram Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo Antuerpienſi, vt oſtendi in initio huius libelli; & cauſâ excidiſtis: poſtea nihil non egiſtis apud Illuſtriſſimos D D. Nuncios Apoſtolicos Belgij, & Coloniæ Agrippinæ, ſeu tractus Rheni, contra eandem: ſed hi pro ſua integritate, & iuſtitiæ zelo, viſis exceſſibus Bzouij, & validiſſimis rationibus contra eum allatis; quibus de mendacijs, & calumnijs in Scotum, conuincitur; nihil vobis fauerunt, iniquum exiſtimantes, æquam Scoti defenſionem impedire: ſi defenſor exceſſit, prius examinandum iudicarunt, an etiam aggreſſor magis exceſſerit.

Tandem litem ad ſupremum tribunal tranſtuliſtis ipſo, pro ſe, Bzouio aduocante, magiſtro

ſacri Palatij, & ſacræ Congregationis Secretario, ex veſtro ordine, pro tribunali cum alijs ſedentibus: *Et inimici noſtri* (quoad hoc) *facti ſunt iudices.* Quid concluſum? obtinuimus (inquis) præfatam damnationem, & prohibitionem. Ita ne? cur ergo nō publicaſtis eã, vbi Scoti opera cũ vita & Apologia præfata venduntur? nonne in hunc finem toties litigatum, ſupplicatum à vobis fuit? Certe ſi tale decretum prodijſſet, tuam vbique tanquam glorioſus triumphator, victoriam oſtentare non ceſſares: vindicem Scoti condemnatum plenis buccis intonares. Sed rogo te bone vir ſi tale decretum emanauit, quomodo Scoti opera cum eius vita & Apologia ſibi annexis, in ipſa vrbe diſtrahuntur, & quidem præuia Magiſtri ſacri Palatij in hanc rem diligẽti inquiſitione, ſine cuius conſenſu libri alibi impreſſi, ibi venales exponi nequeunt? Sed forte, Bzouiſta, abſtruſum verborum tuorum ſenſum, non penetro: vtar ergo tua gloſſandi arte, forte recte aſſequar mentem tuam. Aliquis fortaſſis ex iudicibus decretum illud mente intentum habuit, & hoc ſufficit, te iudice, vt emanaſſe dicatur, & inſertum inter decreta ſanctæ Congregationis indicis. Huiuſmodi enim gloſſa vſus fuiſti, dum vrgeretur Bzouius quod falſo ſcripſerit, ſine vllo teſte, infamia carmina (de quibus ſupra capite 4.) ab aliquo Scoti operibus præfixa; nam reſpondes pag. 35. *Subſcripſiſſe dici poteſt qui mente vel tacitus ſubſcripſit.* De hoc, ſuo loco egi. Sed eſto vnus vel alter ex iudicibus illud in intentione habuit, vnde reliquum ſacrũ Senatum in idem conſenſiſſe probabis? Hæc,

Bzouius in vrbe inſtat contra Apologiam pro Scoto, & duo prædicatores inter iudices ſedent.

Bzouiſta ſua gloſſa, captus.

mi Bzouista, conuincunt nullum tale decretum emanasse; aut si surreptione, falsâue informatione emanauit, re maturius examinata, reuocatum euanuit. Audi patienter pauca quæ dicam.

Decretũ datum contra Bzouium, de eius libris expurgãdis, in omnibus, quæ contra Minores habet.

Datum e contra est decretum à sancta Congregatione contra Bzouium, vt corrigat non ea tantum quæ in Scotum, sed & omnia alia quæ in ordinem Minorum iniuriose suis scriptis asseruit. Nunc agitur vt ipsa sacra Congregatio, auditis iniuriarum Bzouij capitibus, iudicet quot ex eis, quænam, & qualiter corrigendæ, vel expungendæ sint. Non exigo vt credas donec rei exitus id probauerit. Expecta parum, & videbis.

Minores tui, ô Interpres, & si tibi frons ferrea, pro te erubescunt.

Calumnia, nimis acerba

Addatur reliquis tuis conuitiis: & vtri frons sit ferrea, tibi vel interpreti; & an Prædicatores tuis excessibus magis erubescere debeant, quam Minores pro Scoti vindice, æqui lectoris esto iudicium.

Præest his, Minoribus, *in Belgio vir tum doctus, tum modestus, quem præ cæteris omnibus scio vehementer esse commotum: ille paratissimus est, & nos promptissimi, ad pacem & amicitiam æternum firmandam, quam initam posteris reliquerunt Dominicus, & Franciscus.*

Non præest ordini Minorum in Belgio, alius quam Reuerendissimus P. F. Andræas à Soto, Serenissimę Hispaniarum Infantis, confessarius,

quem honoris cauſa potuiſſes & debuiſſes nominare. Fateor paratiſſimum eſſe ad pacem ineũdam, & confirmandam: ſed ſui ordinis illæſo honore, quem ex officio, ſtrictiori iure, tueri tenenetur. Quod ais fuiſſe præ omnibus aliis commotum, non negauerim pro ſuo zelo, non potuiſſe tot conuitijs, & iniurijs Bzouij in Scotum, ſacrumque Minorum ordinem, non commoueri, ac triſtari de pacis turbandæ fundamentis à Bzouio iactis. Iuſſit ergo P. Cauellum Scoti opera expurgantem, & illuſtrãtem, vt ipſius quoque honorem, quem Bzouius obſcurare conatus eſt, priſtino reſtitueret ſplendori. Si vos prõptiſſimi eſtis ad pacem firmandam, curate prius quidquid eſt in Scoti honorem commiſſum, corrigendo tuos & Bzouij exceſſus, reſarcire. *Iuſtitia & pax oſculata ſunt* Pacem deſiderare, & iuſtitiæ leges non ſeruare, neque damna reſarcire, etiam raptoribus, & latronibus commune eſt. Relinque latroni omnia, & pacem habebis cum eo; ne quæras ſatisfactionem, firmabis eã. Si pacem veram cupis, non auferes noſtra, & quę ſurripuiſti reſtitue: & tunc ſimul ſtabimus adunati vinculo pacis. Si vindex Scoti exceſſit, etiã corrigatur: at prius iudicio ſiſti debet aggreſſor, quam defenſor.

Reuerendiſſimus P. Cõmiſſarius Generalis Minorũ ad pacẽ paratus eſt, ſaluis ſaluandis.

Væ illis per quos ſtat, quominus ſeruetur pax & amicitia inter SS. Patriarchas Franciſcũ, & Dominicum inita, & poſteris commendata. Vidit ſanctus Dominicus B. Virgine reuelante, ſe, & ſanctum Franciſcum ſocios aſſignatos ad iram Dei mitigandam, & placandam: cumque poſtea Franciſcum Romæ in Baſilica principis XII.

Apoſtolorum inueniſſet: *In oſcula ſanctaruens, & ſinceros amplexus* (in quit S. Antonin. 3. p. tit. 23. cap. 3. §. 1.) *dixit. Tu es ſocius meus, tu curres pariter mecum; ſtemus ſimul, & nullus aduerſarius præualebit. Viſionem ei narrauit, & ex tunc facti ſunt cor vnum, & anima vna in Domino; quod etiam in poſteris mandauerunt perpetuo obſeruari.*

Amicitia inita inter S. Dominicũ & S. Franciſcum.

Aggreſſores, vt Bzouius, & Bzouiſta eius aſſecla, mandatũ hoc violarunt. Defenſores obſeruamus: proteſtamurque nihil aliud à nobis intendi, quam vt repellendo veſtras iniurias, patrum noſtrorum, & matris noſtræ religionis ſanctæ Minorum, honorem tueamur.

pag. 86. *Sed eheu! in mortales ſæuiſſe nihil erat, niſi & Diui luerent. O interpres, illum ſolem clariſsimũ Angelicum Doctorem, atra nube tegere voluiſti! Licuit*, inquis, *D. Thomæ, Alenlenſis noſtri ex quo* (omittit ſolita fraude hanc parentheſin, teſte authore Firm. tri. ord. p. 1. de vir. Illuſt.) *multa maxime 2. 2. pie furatus eſt, Albertique Magni ſententias deſerere, &c.*

§ XIII.

Benignum & plenum eſt ingenui pudoris (inquit Plin. in Præfat. ad Hiſtor. natu.) *fateri per quos profeceris: è contra obnoxÿ & imbecillis ingenÿ eſt* (quo ille crimine pleroſque ſcriptores ſui temporis damnat) *deprehendi malle in furto, quàm mutuũ reddere.* Hoc videtur te tãgere Bzouiſta qui deſumpta ex Alenſi, ipſi negas; non Doctorem Angelicum, qui id minime negaret.

S. Thomam plurima ex Alensi hausisse palam est. id docent Tossinianus lib.3. Histor.Seraph. Author Firm. tri.ord. qui ante 120. annos floruit. Sedul. in vita sancti Bonauent. Gerson 1.part. Epist.de laud. D.Bonau. testatur Diuum Thomam dixisse quod Theologiæ studiosus, in solo Alensi inter Doctores, se exercere deberet, & subiungit: *Testantur scripta. S.Thom.2.2. quam intimum sibi fecerit, & familiarem, illum quem laudabat Doctorem Alexandrum de Ales.* Brulif. in Prolog. sent. edito ante 120. annos. *Magister Alexand. de Ales, à quo multa recepit D. Thomas; fere quidquid scripsit in 2.2. ab Alexandro habet, vt patet intuenti.* Sed & experientia hoc ad oculum patet, conferenti secundam 2. D. Thomæ cum Summa virtutum Alexandri, de quo statim. Hæc testimonia supra posui. Facit ad hoc quod habetur carmine Panegyrico præmisso editioni Summæ Alensis, Nuremb. ann. 1482. vbi de eo dicitur: *D.Th. sumpsit multa ex Alensi, & iure potuit ex magistro.*

Quo duce præmonitus, in prælia Doctor
Aquinas, &c.

Sed dic amice, qui sacras reliquias pio affectu furaretur, vere fur esset. Nonne ergo, & tu Diuum Thomam, quum pie sit furatus, furem appellas? Testor cœlum, & styga, nihil maius ore posset excidere impio. pag. 86.

Respondeo. Talis, fur non esset, quia in vera Theologia pietas vera non est, si iniustitia est: Si iniuste furatur, pie non furatur: si pie, & iuste; tu nec pie nec iuste aduersario oris impietatem obiicis. Nihil minus voluit, quam Diuum Tho- XIIII. *Pium furtũ non est furtum.*

mam, quem pie colit, furem appellare. Tu sic intelligis, quia nec Logicam nec Theologiam calles. De Theologia iam dixi, secundum eam, si vera pietas adest, iniustitiam abesse. De Logica scias, illam particulam, *pie*, distrahere, & alienare, *furtum*, seu *furatus*, à sua propria significatione. Vnde male infers, pium furtum est, ergo furtum est. Sicut si inferres, homo mortuus, vel homo pictus est; ergo homo est. Sancti leguntur piis fraudibus vsi: sed impie inferres: ergo fraudulenti fuerunt. Vide Doctor. subtilẽ 3. d. 6. q. 2. & d. 11. q. 2. & l. 1. Elench q. 35. Vide etiã ipsũ 1. d. 36. num. 8. vbi ex Phil. 2. Periher. docet particulam distrahentem afferre oppositum significatum sui determinabilis. Vnde secundum Philos. prædicando de aliquo, homo mortuus, est implicatio in adiecto, nimirum si in rigore Logicæ sumatur. Ly, *pie*, additũ furto, est particula distrahens, vt patet. Augustinus libro 50. Hom. hom. 23. de Magdalena loquens *Vidistis*, inquit, *mulierem, &c. non inuitatam irruisse conuiuio, vbi suus medicus recumbebat, & quæsiuisse pia impudentia sanitatem, irruens quasi importuna conuiuio, &c.* Quæro Bzouista, appellauit-ne Augustin⁹ Magdalenæ accessum, vel quæsitionem, impudentiã? impudentia tantum id asseret. Addendo ergo ly, *piam*, nihil reliquit impudẽtiæ: alienauit terminũ à sua significatione. Absit vt verè impudentem, vel importunam vocet, quæ per gratiam vocata, ad authorem gratiæ cucurrit: gratiæ opus impudens non est, importunum non est, etsi oculis insipientium ita aliquando videatur. Disce Bzouista piam impudentiam, non esse impu-

Pia impudẽtia, impudẽtia non est, sicut nec pia fraus, fraus.

dentiam, nec pium furtum, furtum. Ne accuses falsò interpretem, quod vocet D. Tho. furem, ne damnes Augustinũ quod Magdalenam vocet impudentem. vtrumque, vel neutrum damnabis. Item August. 3. Confess. cap. 4. loquens de peruersis, quibuscum agebat: *Inter quos*, inquit, *viuebam pudore impudenti, quia talis non eram.* Hic particula, *impudens*, addita pudori, nihil relinquit pudoris: Pudere enim te quod mala non facias, pudor non est, sed impudentia: sic econtra pium furtum, furtum non est, sed iusta rei vsurpatio.

Testetur igitur lector an periurij reum te facis, qui cœlos & inferos in falsitatis testimonium adducis: Et quâ religione, etiam per dæmones iusiurandum confirmas: quod Dei proprium est diabolo attribuens. eo profundi lapsus, te conuicia præcipitarunt: *Abyssus* enim *abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum.*

Denique vt alius quippiam illo vetustior pene eadem scripsisse videatur, non dicendus est vir Angelicus, rem alienam mutuatus esse; ad quod conuincendum insero iudicium Bellarmini, qui de secunda parte Doctoris sancti ita censet. Mirum est valde quod magna pars primæ secundæ, & Secundæ Secundæ inueniatur iisdem fere verbis in primo & tertio libro Speculi Moralis Vincentij Bellouacensis: & quidem non videtur potuisse Vincentius speculum suum ex doctrina, & verbis Diui Thomæ sumere, cum ipse obierit anno 1256. teste

pag. 87.

XV.

Cõtenta in 1. 2. & 2. 2. D. Th. magna ex parte immutata habẽtur apud Bellouacens. qui antiquior est D. Tho.

Anton. Senensi ex Vasæo, in Bibliotec. PP. *Prædicatorum, & Diuus Thomas obierit anno* 1274. *& in extrema ætate Summam Theologiæ confecerit. Neque vllo modo credibile est D. Thomam Summæ suæ partem secundam, eamque nobilissimam, ex alio hausisse. In his angustijs nihil mihi occurrit, nisi Speculum illud morale, forte non esse Vincentij Bellouacensis, sed alicuius authoris posterioris, qui forte Vincentius etiã diceretur.* Ex qua authoritate probat Bzouista nihil Sanctum Thomam, ex alijs authoribus hausisse, quod posset dici pium, vel impium furtum.

XVI. Ego verius ostendo, & vincentium & D. Thomam ex Alensi maxima ex parte ista hausisse, & in primis cum aliqua eisdem verbis reperiantur in varijs authoribus (vt in hoc casu, secundum Bellarminũ) manifestũ est, posteriores sumpsisse ex prioribus. Ostẽdit doctissimus, & piissimus Bellarminus pium affectum erga D. Thomam, vt ipsi ascribat nobilissimam partem suæ summæ. *In his angustijs* (inquit) *nihil occurrit &c.* Videt tamen defensionem nihil valere. Trith. Posseuin. Anton. Senens. Gesnerus, Bibliotheca Classica, S. Antonin. Bzouius, Bergomens. Albert Bononiens. l. 4. de vir. illust. ord. prædicatorum, & alij, ponunt illud speculum esse Vincenti Bellouacensis, & nullus asserit esse alterius Vincentij: sine fundamento ergo id scribitur. Si aliquis alius speculum illud confecisset, quomodo omnes, qui de librorum authoribus scribunt,

Omnes astruunt speculum morale, esse Vincentij Bellouacensis, nullus refragatur.

scribunt, hoc præterijsse? minutulos authores recensent, & authorem operis tam eximij negligerent? si tantum quod verisimile, est credibile, hoc moraliter incredibile videtur. Itaque si magna pars 1. 2. & 2. 2. ijsdem verbis habetur apud Vincentiū & D. Thomam, vt ait Bellarminus, & tu admittis, illa potiori iure Vincentio, quam D. Thomæ ascribi debet.

Sed cum eadem, magna ex parte reperiantur apud Alensem immutata, vt patet intuenti & conferenti summam eius de virtutibus cum dicto speculo, & 2. 2. D. Tho. & is antiquior vtroque fuerit, Vincentio ad minus vndecim annis; (obijt enim an. 1245. ex Posseuino, Bellarm. Gonzaga, Rodulpho, Marco Vlissipon. Henrico Vvillot, & Vincentius vt dictum est, an. 1256.) ipsi, potiori iure opus tribuendum, quam Vincentio, vel D. Thomæ. Potuit nihilominus D. Thomas merito ex suo magistro haurire ea, & sui ingenij vigore, & excellentia, eadem ampliare, & confirmare; quod fecit, & sine periculo furti, quia nihil abstulit inuito Domino: cui enim magis optaret pijssimus magister suam doctrinam communicatam, quam sanctissimis discipulis, Seraphico, & Angelico doctoribus? hæc mea coniectura est; si quis solidiora fundamenta pro parte altera protulerit; libens acquiescam. Dignius plane, & Angelici doctoris honori magis congruum, ex suo præceptore irrefragabili Alexandro de Ales, quàm ex Vincentio, sua desumpsisse. Pauca hęc quæ hac de re dixi, prouocatus hic posui, & vt testeris tu cælum, non styga, *aliquid maius ore posse excidere impio*, imo in actu se-

Prima secunda & 2. secunda D. Th. magna ex parte ex Alensi hausta.

cundo excidisse tibi hîc grauiora.

pag. 88. *Quot conuitia tibi exciderint? quam aspera in ordinem sanctum? in doctorem Angelicum?*
XVII. *quam acerba in confratrem prædicatorem? qui cum esset Thomista, vt hoc tibi concedam, innocuè iocatus est.* Semper clamas de conuitijs interpretis, & nullum nominas. Optime locutus est de ordine sancto, & de doctore Angelico; nihil vmquã contra eos dixit; vt ostendi supra in examine capitis I. Concedis Bzouium innocue iocatum in Scotum; ergo (vt ipse prius de furto intulisti) iocatus est: quantum autem annalium Ecclesiasticorum scriptorem in re se-

Ioci Bzouij in Scotum, lethalia vullnera. ria iocari dedeceat, nemo non videt. Hic itaque ex tua Logica contra te probatur Bzouius iocatus. Ego vero supra c. II. examinaui hos iocos, & non iocos, non lusus, sed lethalia vulnera censeri debere ostendi: eò lectorem remitto.

pag. ead. *Hoc scilicet stipendium viri bene meriti de ordine Minorutarũ. Bzouius ergo de hoc bene meritus? confidẽter asšero; nõ bene tantũ, sed & optimè.* Et probat quia laudat S. Franciscũ, & multos ex eius ordine.

Qui se Ecclesiæ vniuersalis annales scribere profitetur, & à te quasi antonomasticè, Ecclesiæ historicus vocatur: non potuit S. Francisci & suorum laudes ex toto silere; sed in hoc culpatur Bzouius, quod obiter, & per transennam, gesta eorũ laude digna tractet, clarioribus eorũ factis silentio prætermissis, & in ijs quæ vituperanda censet, nimium hæreat, & multa falsa immisceat. Eum vocas Ecclesiæ historicum: alij tamen iudicant sub hoc titulo chroni-

ſtam ſui ordinis agere, quia alia plerumque omittit, vel leuiſſimè tractat, comparatione facta ad ordinis ſui geſta, quibus ſingulas ſuæ hiſtoriæ partes, ita replet, vt vix diſcernere queas alios ordines, aliquid præclari in Eccleſia prçſtitiſſe. hoc maxime confirmant ea quç pro liberando Henrici 7. peremptore Bernardo Dominicano, à figmento, vt ipſe ait, ei impoſito, copioſe produxit. *Bzouius cenſetur ſui ordinis potius Choroniſta, quam hiſtoricus eccleſia.*

XVIII.

Vt autem appareat, quam affectuoſe, & ſollicite de ordine noſtro tractet Bzouius, R. P. Veglen. Apol. in ipſum, ſequentia notat, ex quibus velut ex vngue leonē, geniū eius agnoſcas.

Primam mentionem de S. Franciſci aſſeclis ad an. 1213. n. 12. factam ait per os diaboli ad interrogationem S. Dominici: an. 1215 n. 16. Franciſcum vndecim ſocijs ſtipatum deſcribit: an. 1217. n. 9. aſſerit Deum conſolatione affeciſſe eum ob ſuorum fratrum inobedientiam: an. 1218. deſcribit ingreſſum Bernardi Quintauallis primi ſocij S. Fran. atque primi omnium Minorum in ordine; mox, acceſſū ſecundi, Petri Catanei; tum tertij, quem vocat B. Moricum.

In quibus notandum primo deſcribi S. Franciſcum an. 1215. n. 16. cum vndecem ſocijs, quibus comitantibus ab Innocent. 3. an. 1216. petijt inſtituti confirmationem: tamen an. 1218. eum nullū ſociū habuiſſe, ſed tūc acquiſijſſe primum, ſecundū, tertiū: quærendū ergo, ſi an. 1218. acquirit primum ſocium, quinam erunt illi vndecim an. 1215. habiti? & an ſint priores primo ſocio S. Patris, necne? Falſum eſſe B. Moricum fuiſſe tertium ſocium S. Franciſci; neque enim *Contradictiones Bzouij de ord. Minorum, initijs.* Nota 2.

inter duodecem ſocios locum habuit; tertius fuit Fr. Ægidius ex Bonau. c. 3. vitæ S. Franciſci, & Barthol. Piſano, in conformit. car. 46. de quo Chron. ord. & lib. firm. tri. ord. Tertio, narrat deſolationem S. Franciſci ob inobedientiam fratrum, & hoc, ſi ipſi credimus, antequam haberet fratres. Item reprobationem plurium Minoritarum à diabolo prædictam. Item petulantiam, & inobedientiam fratrum; & hoc ante an. 1218. quo anno ſecundùm Bzouium, tantum habuit S. Franciſcus tres, ſed bonos fratres. Hæc Veglenſis.

XIX. Ad an. 1331. n. 11. ait. Ioan. 22. ſecutum fratres minores in errore de viſione beata vſque ad diem iudicij differenda; & prædicatores fuiſſe primos impugnatores illius; & hoc, nullo teſte. Quod quam falſum ſit, manifeſte patet ex ſcriptis Occam, 2. p. dialog. trac. 1. vbi late impugnat hunc errorem reſpondens omnibus adductis à Ioan. 22. alij minores, maxime quotquot erant auerſi à Ioan. 22. in hunc errorem acriter ſunt inuecti. Nemo præter Bzouium eos illius erroris inuentores fecit.

Figmentum Io. 22. ſequutum Minores in errore de viſione beata vſque ad iudicium differenda.

Hervvartus in ſyllabo errorum Bzouij in Bauaria ad an 1253. oſtendit fratrem Bertholdum virum miraculis clarum, apud Ottonem Bauariæ ducem magnæ authoritatis, falſo ſuis Dominicanis aſſcripſiſſe, cum tamen Franciſcanus eſſet; quod etiam teſtantur annales Baiorum l. 7. Idem ad an. 1326. coarguit Bzouium, quod in iniuriam Occam, & aliorum fratrum Minorum, Æmilium falſificat.

Bzouius furatur fratrē Bertholdum à Franciſcanis, & ſine nouitiatu vel diſpenſate, ſuum facit.

Oſtendit etiam mala fide eum imputaſſe fratribus Minoribus in communi, quod minus recte fiebat à paucis eorum, tempore turbarum quæ

Alia iniquitates Bzouij in minores.

excitatæ ſunt inter Ioan. 22. & Ludouicum 4. plura huiuſmodi afferre breuitas non ſinit. Hęc pauca ex multis clare oſtendunt, quo affectu Bzouij calamus in minores ducatur, quamque malè mereatur ſtipendium, quod ipſi ab eis deberi contendit Bzouiſta; debemus tamen ei multum, quia tenemur benefacere his qui oderunt nos, & orare pro perſequentibus, & calumniantibus nos; regulâ ex euangelio, id nos docente, & Bzouio pro perſecutore, ſe gerente.

Adducit cenſuram P. Ioannis de Carthagena ord. Minorum, qua approbat vt digniſſimam hiſtoriam Bzouij, licet in ea legerit, quæ de Scoto ſcribit. Reſpondeo ipſum non legiſſe ſingulas operis Bzouiani partes, niſi ſumas pro generibus ſingularum: Si enim legiſſet quæ in ſuum ordinem durius ſcripſit Bzouius, incredibile eſt quod ipſius hiſtoriam approbaret. Habebat P. Carthagena opera grauiſſima elaboranda, nec vacabat omnia Bzouij opera perlegere ſine graui temporis iactura. Legebat forte in eis hinc inde aliqua dormitabundus poſt refectiones, quando ſomnus obruit & à grauioribus ſtudijs vacatur. Præterea non erat, quod Bzouij fidem ſuſpectã haberet. Si autem attẽte cunctaperluſtrauit, proculdubio cenſuram non dedit, niſi accepto prius promiſſo de Bzouij exceſsibus corrigendis, cui ſtatum non eſt Ad hoc adducor, quia ſi vidiſſet vir ille doctiſsimus, exceſſus Bzouij in Scotum & ordinem vniuerſum; non poterat ſine graui imprudentiæ nota, tali cenſura data, nõ timere iuſtam ordinis, & fratrũ indignationem; quam vt euitaret, attentis Bzouij exceſſibus, illam minime conceſſiſſet; vel, vt dixi, Bzouiano XX.

Cartagena, minime videtur perlegiſſe Bzouiũ.

promisso est deceptus.

Dices. P. Carthagena absolute ait se legisse opus Bzouij; ergo totum, & attente legit. Respondeo. Loquitur more censorum, quorum magna pars fidunt authoribus, dicuntque se legisse, nempe per alios; sic Principes, & reges suis literis dicunt se hæc vel illa examinasse, discussisse, partes audiuisse &c. quæ omnia per ministros faciunt. Si hæc non placet accipe secundam solutionem, de promisso non adimpleto.

XXI. Possem tertio respondere si tua glossandi libertate vti liceret, ipsum absolute opus legisse, esto vnam tantum particulam legerit. Vindex Scoti arguit falsitatis Bzouium, quod dixerit relatis operibus Scoti, aliquem infamia carmina eis præmisisse, cum tamen vni solum fragmento præmissa fuerint; Et tu respondes p. 55. *Bzouium locutum per Synecdochen, vt dici solet, membrum vnum dolet, cætera membra dolent.* Hoc modo possem ego dicere Carthagenam locutum per Synecdochen; & sic per totum opus, intellexit tantum partem, quam legit. Vel dici potest totum opus legisse, quia forte totum mente tacitus intendit legere; quia vt ipse supra dixisti, *subscripsisse dici potest, qui vel mente tacitus subscripsit.* Sed huiusmodi glossis tuis, quæ doctum quemlibet vel primo statim aspectu offendunt, vti nolo.

Glossa ad censuram P. Cartagena, de 1. Tomo annal. Bzouij.

XXII. Postquam reiecta sunt, quæ in Scotum eiusque vindicem inuidia ore minus modesto expuit, si breuitas pateretur, optarem hic subiungi posset pro laudibus Scoti, eiusque virtutibus publicandis, panegyricum æternæ memoriæ ac

famæ eius, ab eruditiſſimo Domino Nicolao Vernulæo Sac. Theologiæ licentiato, in celeberrima academia Louanieſi, publico eloquentiæ profeſſore, viro & pietate, & literis ornatiſſimo, dictum; cum id fieri nequeat, adiungo ex eo in laudem Scoti floſculos aliquos, in quibus colligendis, inopem me copia fecit; Quæcumque enim ſcribit Vernuleus, vernantes roſæ ſunt, flores ſunt, gemmæ ſunt; dulciora ſuper mel,& fauum: vt quid in eis magis admirere, pietatem, an facundiam, non facile queas iudicare. Scoti humilitatem, modeſtiam, obedientiam, contemplatiui, & extatici ſpiritus gratiam, eloquentia mirabili deſcribit; pauca ex eo hic placuit ſubijcere in confirmationem ſanctitatis,& angelicæ puritatis Ioannis Scoti. pag. 25. ſic loquitur. *An non* (inquit) *vice quadam, ea nocte, quæ natalis Christo fuit cum diuinum illud admirandæ incarnationis myſterium, attonita mente contemplaretur, benigniſſimus ille Ieſus apparuit eius brachijs dulciſſimum onus incubuit, in eius collum iterum atque iterum repetitis amplexibus inſiluit, eius animum ſuauiſſimis vocibus ſolatus eſt, & recreauit?* antea. pa. 10. *tuus eſt ô Hibernia Scotus, quem tibi vrbs tua celeberrima Dun tanquam æternæ gloriæ pignus quoddam & ingeniorum omnium miraculum genuit.*

Pag. 26. *audeo dicere, & vere dicam, non poterat non eſſe ſapientiſſimus Scotus, qui id primum contenderat, vt eſſet ſanctiſſimus.*

Et pag. 29. *Quis, inquam, illo doctior fuit aut eſſe potuit? nullam ſcientiarum genus, in*

quo non fuit versatissimus, nulla sapientiæ pars quam non accuratissime cognouit.

Elog. Vernulei de Scoto.

Pag. 32. *At vero non* Philosophorum *ille tantum princeps extitit, verumetiam Theologorum* Phœnix. Et pag. 33. *Inuideant & etiam inuidia sua rumpantur, qui volunt; fuit* Scotus *sapientiæ magister, Theologicæ subtilitatis Doctor, reconditorum arcanorum perscrutator, summarum vbique difficultatum prudentissimus enodator.*

Pag. 35 *Testor hic te, & te appello, ô cœli, ac terræ regina (nam hunc animum tuo auxilio, & hanc doctrinam tuo Scoto procurasti) an non immaculatæ conceptionis tuæ honorem in terris per Scotum ipsa defendisti? an non eius grauissimos pro te conflictus, semper probauisti? an non pro te pugnaturo vires, & animum semper addidisti?*

Elog. grauissimorũ de Scoto apud Vern.

Pag. 37. *Quamquam vt non tam meo, quam doctissimorum hominum ore* Scotus *laudetur, prodeant in medium ac loquantur: ac in primis vniuersalis illa mundi historia, nunquid* Scotum *velut alterum Apollinem, & præ cæteris Theologis, subtilissima opera edidisse testatur? Loquatur Sabellicus nunquid neminem Scoto subtilius diuinas tractasse litteras affirmat? Loquatur Sanctus Antoninus, nunquid multa subtilia scripsis-*

Hist. vniuersali.
Sabellicus
S. Anton.

ſcripſiße eum, & iure meritiſsimo ſubtilis Doctoris nomen reportaſſe, ſcribit? loquatur Sixtus Senenſis; nunquid virum admirandæ eruditionis ſubtilitate præditum appellat? Edat hic vocem Trithemius, & Scotum in Diuinis Scripturis, ſtudioſum & eruditum, inque Ariſtotelis Philoſophia doctiſsimum, adeoque profundum, vt eius à paucis intelligi penetrarique ſcripta poſsint proclamabit. Audiatur ſummum illud purpuratorum patrum decus Bellarminus, & Scotum acutiſsimo ingenio præditum appellabit. Prodeat Hector Boëtius, & Scotum tantæ eruditionis Theologum extitiſse teſtabitur, vt eius ingenio ſæculum illud cenſeri poſsit indignum. Adſit Antonius Poſseuinus, fatebitur profecto in Ariſtotelis Philoſophia ita Scotum præſtitiſse, vt cæteris omnibus diſputando palmam præriperet; ita ſanam eius omnem doctrinam fuiſse, vt hanc vſque ætatem per annos amplius trecentos, eius ſine vllo erroris næuo libri permanſerint inuiolati. Euocetur Guilielmus Vvorillon, non inquit, quemquam in terris puto tuas, O Scote, laudes dignis celebrare ſermonibus poſse, quem mater vniuerſitatum, Pariſienſis, ſuo in flore tot inter Doctorum turmas, ſubtilis nomine inſigniuit, & cui Coloniam aduentanti vniuerſus obuiam clerus proceſsit. Tua dicta communem

Sixt. Senen.

Trithet.

Bellarm.

Boëtius

Poſſeuin.

Vvorill.

transcendunt facultatem, tu inquisitor maximus veritatis, tu redargutor falsitatis, tu veri arca, tu legum summa, tu rerum comperta sanctio.

Scotus eruditionis humanæ terminus, asseritur.

Alios innumeros nihil attinet citare, qui omnes vno ore proclamabunt illustratam à Scoto *subtiliter* Philosophiam *esse, & Theologiam fæliciter auctam. Dicent etiam & testatum toti orbi esse volunt, eruditionis humanæ non miraculum tantum, sed terminum etiam, Scotum extitisse. O quot, ô quanti, ô quam admirandi ab hoc magistro discipuli prodierunt &c.*

Quibus eloquentissimi viri aureis dictis addantur sequentia aliorum scriptorum in Scotum elogia. Volateran.[a] vniuersitatem Parisiorum *à Scoto fuiße magnopere illustratã affirmat.*[b] Ioan. Maior *humillimum, apostolicum, pauperrimum, summo tamen pontificatu dignum* prædicat.[c] Bergom. *Theologorum subtilissimum, & alterum Apolinem* appellat.[d] Episcopus Rossensis, *nihil tam difficile, quod Scoti ingenium penitus inspicere, & clare aperire non potuerit,* testatur. P.[e] Iac. Granard soc. Iesu *primum inter Scholasticos Doctorem, propugnatorem, & propagatorem immaculatæ Conceptionis vocat.* D. Petrus Besseus Doctor Sorbon.

a In Antropol. l. 21.

b 4. d. 38. q. 10.

c In Supplement. l. 13

d lib. 7. hist. Scot.

e Tract. de imm. ac. Concept. disp. 3. c. 14.

Besseus in Quadrag.

&Regius Orator, serm. fer. 3 hebd. Sanctæ; *Ioannes Scotus Doctor subtilis nuncupatus, celebris huius Sorbonæ surculus & propago, Franciſconorum columen, orbis denique honor & gloria.*

Pater [f] Salazar soc. Iesu, *omnibus Theologis immaculatæ Conceptionis authorem, maximumque vindicem extitisse, & Parisienses in hanc sententiam traxisse* asseuerat. [g] P. Ioan. Pined soc. Iesu *ingenio acutissimum; Virgini deuotissimum, eiusque miraculosum defensorem* proclamat. P. [h] Ojeda soc. Iesu authorem decreti Parisiensis pro Conceptione, ait esse *magnum Scotum, quem gloriam Seraphicæ religionis*, appellat. [i] Bernard. Busti, *ab ipso Christo Parisios ad Mariæ propugnationem, destinatum* ait. [k] Rioche, *in omni scientia profunde peritum*, dicit. [l] Pitzeus, *non tam hominem acie mentis stupendum, quam inter* Philosophos *quemdam Deum*, nuncupat. [m] Episcopus Senogal. *in nullo vnquam, vel tantillo errore reprehensum*, asserit. [n] Scaliger *limam veritatis* nominat. [o] Cardan. Quis subtilior, *an Aristoteles, an Euclydes, vel Scotus?* dubitat. [p] Card. Sernan. *Scotum inter Theologos, solem inter astra, qui coæuos, priores, & posteriores subtilitate superauit*, pronunciat.

f de imm. Concept. c. 13 & 42.

g in Aduert. ad priuil. Reg. Arag.

h in informat. pro defensi. immac. Concept. fol. 62.

i in offic. Cōcept. Lect. 4. diei.

k l. 4. c. 84.

l de scrip. Angl. p. 391.

m l. 3. hist. Seraph. f. 326

n Exercit. 324.

o l. 16. de Subtilit.

p Epist. ante Aut. Ana.

q 11 Met. fin. q. Anton Andreas, *totum mundum sancta profundaque doctrina repleuisse*, tradit. [r] Bargius, *sanctæ, profundæ, & infallibilis doctrinæ*, doctorem nuncupat. [s] Ioan. Ragus. Dominicanus, *præ altitudine doctrinæ antonomastice D. subtilem recte vocari*, docet. Iacobus Breullus, [t] *æternæ memoriæ ob eruditionem hereticorum impietati retundendæ, tam opportunam*, agnoscit. And. [v] Theuet. *vter plus authorisatus, Thomas an Scotus*, indecisum fatetur, & ingeniosum quemque communiter, *Scotum vocari*, ait. [x] Sebast. Veron. præpos. friburg. *Phisophorum, & Theologorum omnium acutissimum*, nominat. [y] Hervuartus, *nulli Philosophorum, aut Theologorum, subtilitate vel pietate secundum; primum immaculatæ Conceptionis in gymnasiis propugnatorem, & Academiæ Coloniensis inceptorem*, constituit. Greg. [z] de Pomo aureo: *Scoti ingeniū,* (inquit) *sine exemplo maximum, & ingeniorum fontem appello, in quo id præcipuum, quod nec ante illum, quem imitaretur, nec post illum, qui eum imitari posset, inuenit.* Occam nominalium magister, & Scoti summus impugnator; [a] *alios omnes in subtilitate iudicij excelluisse*, scribit. Picus Mirand. [b] postquam dixisset in vnaquaque familia ali-

r in primus sent.
s apud Canis. lec. antiq. to. 3. p. 2.
t Antiq. Paris. p. 704.
v de vir. Illu. l. 3.
x in Chron. ad an. 1295.
y in syllab. error. Bzonij in Germania, ad an. 1294.
z Ep. ad Illust. Card. de mōte Elpano, præfixa 2. senten.
a .i. d. 2. q. 4.
b in Apol. paulo post prin.

quid esse insigne, non commune cum cæteris, descendit ad præclarorum Doctorum insignia, quorum omniuum primum constituit Scotum. *Vt à nostris* (inquit) *ad quos postremo philosophia peruenit, nunc exordiar, est in Ioanne Scoto vegetum, atque discussum; in Thoma solidum & æquale*, & postea ponit, Mayronium, Albertum, Henricum. Vbi etiam adducit c quosdam art. Parisienses, contra certas opiniones D. Th. refertque quasdam cõtradictiones, vel retractationes eiusdem. Andreas de Vega d *ingenium fœlicissimum, & doctrinam catholicam, singularem, & præcellentem indicat.* e Gillius Lusitanus eum acutissimum vocat, & in ordine cæteris doctoribus preponit.

c Apol. pro q. 1.

d de iustificat. q. 11.

e lib. 1. suæ Theol. ep. ad adlectorem.

Leonard. Lessius.

P. Leonardus Lessius pietate & doctrina præclarus: *Nemo est* (inquit in censura oper. Scoti apud Kerberg. Antuerp.) *qui nesciat Scotum esse cotem ingeniorum & limam subtilioris Theologiæ ac Philosophiæ, quæ semper in scholis & eruditis disputationibus maxime triumphare consueuit.* Stephanus Fermon Professor Parisien. in Præfat. Metaph. impr. an. 1520. *Beatissimum puto Ioannem Duns Scotum omnium consensu subtilissimum, &c. cuius viri quo disciplina est acutior eò (tanta est ingenij dexteritas) fœcundior, commodior, magis suc-*

Steph. Ferm.

Iod. Hond. *culenta.* Iodocus Hond. in Atl. Merca. p. 58. *Quantum ad scholasticas de rebus sacris disputationes, nullus Scoto acutior, exactior, perfectior inuenitur.* P. Bern. de Soria in report. impr. Paris. anno 1517. apud Graimon, sic de Scoto canebat

Bernardinus de Soria.

Scotus adest fidei lampas; Christique Sibilla;
Interpresque Dei; castrum insuperabile veri;
Scriba Iouis; mũdiq; oculus; conuiua Tonãtis;
Non illum secreta Iouis, non alta Deorum
Consilia, extremique Poli, non signifer orbis,
Non natura parẽs, non angulus vllus olympi,
Non lex vlla Dei, non pagina sacra, nec vllæ
Cœlorum ambages latuere; sed omnia rimans
Ingenij claro penetrauit acumine cuncta.

Eximius D. Dominus Andreas du Val vrbis Paris. lumen & Vniuersitatis columen, celeberrimus Doctor ac Professor Regius in tract. quem nunc in Schola Sorbonica dictat de immacul. Concept. *Scotus* [inquit] *huius immaculatæ Conceptionis acerrimus fuit vindex & propugnator, tantamque huic sententiæ fidem comparauit quantam nullus alius.* ibique refert eundem à Sacra facultate accersitum *vt coram Doctoribus suæ sententiæ rationem redderet;* Vbi ducentis argumentis contra immacul. Concept. adductis *tanta sententiarum vbertate satisfecit vt omnes in suam sententiam traxerit & per totam Academiam victor proclamatus fuerit, & Theologia facultas edi-*

xerit ne opposita doceretur , & post aliquot annos mandauerit , ne vllus lauream Doctoralem capesseret nisi prius iureiurando se immaculatam Conceptionem pro viribus propugnaturum promitteret : quod & nunc inuiolabiliter obseruatur. Et citat Pelbartum lib. 2. stellarij p. 1. art. 3. idem habent etiam. P. Ioan. de Pineda P. Ojeda citati cap. 5. Vitæ Scoti & Bernard. Busti in officio Conceptionis, per Sixtum 4. approbato. Mangan. & Io. ab Incarn. statim referendi. *Scotus traxit Paris. Doctores in suam de concept. opinionem, quam defendere omnes tenentur ex iureiurando*

Thomas Bosius Scoto vt principali authori tribuit institutionem aut potius restitutionem festi Concept. immacul. Idem habet Manganellis in vita Scoti ante expos. in Cant. qui etiam testatur per plateas & parietes conscribi de Scoto & publica voce proclamari encomia hæc Scotvs devotvs Virginis, & Defensor immacvlatæ Conceptionis. Nec in cassum operam hanc nauauit Scotus & vitam in obsequio Beatissimæ Virginis impendit, quæ seruum hunc suum in terris illustrauit tanto honore, vt caput suum sacratissimum supra choros Angelorum exaltatum, Scoto in terris inclinare dignaretur, cum ante eius imaginem Paris. flexis genibus & fusis precibus sese disputationi accingeret pro Virginis puritate, vt testantur cum Episcopo Osmensi, P. Pineda, Ioanne Bapt. Lozana, & Gregor. Roiz cit. cap. 3. vitæ Scoti, Christophorus Morenus de purita. Virginis cap. 4. Don Pedro de Quintadueñas nobilis Hispan. eques aur. in suo libro Suppl. ad Illustriss. Princ. de Niuers pro Ord. Milit. immacul. Concept. Ludouicus de *Boz. tom 1: signo 33. c. 8. & alij.*

Manganel. cit. In cœlis etiam coronatum diademate Beatorum, & aureola Doctorum insignitum, singulari beneuolentia amplexatur eũdem suum defensorem B. Virgo. vt in sua Apocalypsi testatur B. Amadeus, cui hæc Angelus reuelauit. Hanc autem beatitatis coronam Scoto iam in terris degenti pollicitus fuit humilium & pauperum diues præmiator Christus Dominus, cum in forma pueri Scoto incarnationis archanum mysterium contemplanti apparuerit, vt habent Morenus & Mangan. cit. cum Ioanne ab incarnatione in vita Scoti, ante suum 1. Sent. & Anton. Cucarus Ep. Acernen. in Lucidario Virg. p. 2.

Angelus ostẽdit B. Amadeo scotum coronatum diademate gloriæ.

P. Ludouic. de Manganellis Neapol. & Theol. Professor, in vita Scoti præfixa discursibus in Cãt. inter alia multa & egregia encomia Scoti ait *Cum speculatione sãctitas atque beatitudo manifesta coniuncta erat, non quod canonizatus fuerit, sed in quantum nobis suæ sanctitatis homines, & Angeli, & opera eius testimonium perhibere videntur. Non desunt homines plurimi qui eum sanctum vocent, &c. Angelus etiam sic testatus est nobis in Apocalypsi B. Amadei fratris eiusdem Ordinis, quando erudiens ipsum Amadeum de Sacramento altaris, monuit vt in eius difficultatibus cum Scoti doctrina consuleret, dicens: Sentias de ipso secundum modum quem scripsit vnus Doctor ordinis tui qui est plenus sanctitate, quia* [a] *primus gladium suum exemit pro Conceptione immaculata*

a Primus scilicet in restaurando & præcipuus in defendẽdo piam & antiquam opinionem.

culatæ virginis Matris ac Reginæ nostræ; & ostendebat Angelus Ioannem Scotum, &c. in ipsa etiam Apocalypsi de eiusdem etiam Sacramenti difficultatibus loquens idem Angelus ostendit Scotum, cum diademate beatorum in capite, & aureola Doctorum. Ibi etiam idem Angelus loquens de Scoto dicit: Amicus noster, quem Regina nostra multum diligit, quia eam publicè defensauit.

Scotus B. Virg. dilectissimus & Angelorum amicus.

Hæc ille. B. autem Amadeus quem hic citat, fuit filius Comitis Portalegren. Sixto IIII. à confessionibus, portentum sanctitatis, & austeritatis vitæ, vt videre est apud Rodulph. lib. 2. & 3. Hist. Seraph. & Marcum Vlissiponen. in Chro. Minot. scripsit Apocalypsin ingens volumen suarum reuelationum, quod seruatur in celeberrima Bibliotheca Regis Hispani. apud S. Laur. del Escurial.

Sed quid istis immoror si? omnia Scoti elogia scribere vellem, integrum libellum edere necesse esset. Ex adductis clarissimorum scriptorum testimoniis liquido apparet, quam iustè vnidex Scoti coarguerit Bzouium, quod prætermissis omnibus authoribus de Scoto præclara loquētibus, quos vbique obuios habere potuit, vnicum Iouium suspectæ fidei scriptorem, in eum debacchantem, secutus fuerit. Vt finiam loco conclusionis subiungo ex eloquentissimo Vernulæo à quo exordium sumpsi. pag. 45. *Quid conuicia, & calumnias tractant? sua ipsi falsitate iacent. Quamquam ne arenam*

Inexcusabilis Bzo. quod infinitis pene preclaris Scot. elegijs, omissis, posuerit, Ion. calumnijs plenum.

rursus meditemur, vbi victoriæ certitudo iam triumphum adornauit; iacet etsi frendet inuidia. Ceciderunt calumniæ, reiecta sunt ingeniosa, & inuidiosa commenta, & iam ex operosis operibus, ex portentosis voluminibus, & ingloriis illis libris, quidquid in Scotum inuidia excogitauit, quidquid calumnia euomuit, quidquid armatus liuore calamus consignauit, delendum est, exterminandum, & æternæ obliuioni tradendum est. Ita veritas ipsa, comprobauit, voluit, præcepit. Adeo iam orbis vniuersus tibi Scote libera voce, & manu applaudit, tibi inquam inuidiæ victori, sapientiæ Regi, Theologiæ principi trophæum æternæ memoriæ, & immortalis famæ libenter erigit.

Mirabiles Scoti laudes

Si tot clarissimorum virorum encomia non cõpescent prurientes in calumnias calamos, plura non desunt, quibus aduersarius Scoti persuaderi poterit, plus fortè prodesse liuorẽ suum, quàm aliis à se nocere.

EXAMEN
Capitis 12. tractans ea quæ concernunt Raymundum Lullum.

VINDEX Scoti coarguit Bzouium quod minus pie Raymundum Lullum, quem vt ſanctum martyrem à Balearibus populis, Maioricæ, & Minoricæ incolis, coli non ignorauit; perditæ memoriæ hominem appellauerit. Eſto in aliquibus forte humana fragilitate errauerit, cum ſanguinem pro Chriſto effuderit: pie cenſendum eſt, labem illam diluiſſe. Sic Auguſt. epiſt. 48. longe ante finem, affirmat ſanctum Cyprianum erroris, de rebaptizandis ijs qui ab hæreticis baptizantur, næuum, vbere charitatis cooperuiſſe: *Et ſi quid in eo erat purgandum, falce paſsionis purgaſſe.* *Raymundus Lull. mart.*

Bzouiſta hic ſe exercet in Lullum: & in primis reprehendit quod intulit vindex Scoti, ſecundum Bzouij computum, Lullum fuiſſe centum annorum quando iuit ad Sarracenos prædicatum fidem.

Non eſt mihi animus hic multum inhærere. in Vrbe intelligo eſſe, Lullianæ cauſæ procuratores, qui tuas iniurias repellent: neq; eſt quod eos præueniam: breuiter tamen paucula dicam. Iactas quod incõcuſſe probaueris Lullum fuiſſe centum annorum, & amplius, quando ad præ-

dicandam fidem se contulit ad Sarracenos: sed nihil probasti, præter improbam acerbitatem quâ ais interpretem, neque Arithmeticā callere, neque Historiæ intelligendæ, vel conciliandæ studuisse; quod statim videbis tibi verius quadrare. Affers quidē qui cum Bzouio dicunt Lullū vixisse anno 1311. Item qui dicūt errores sub nomine ipsius damnatos anno 1260. Sed non probas cum Bzouio fuisse 40. annorum, & amplius, antequam Parisijs Grammaticam addiscere incepisset. Ex hoc enim Bzouij asserto, cōiuncto cum illo, quo asserit Lullum vixisse anno 1311. intulit interpres centum fuisse annorū, cum ad Sarracenos penetrasset, quod videtur parum credibile. Subtrahe ad mentem Bzouij ex annis mille ducentis sexaginta, 40. vel amplius annos, quos habuit Lullus antequam inciperet Grammaticæ studere: Item tempora studiis impensa antequam erroneos libros edere posset: tempora etiam transacta antequam errores detegerentur, examinarentur, ad Pontificem deferrentur, & ab ipso maturè discussi condemnarentur anno præfato, 1260. & reperies iuxta Bzouij computum, natum Lullum circa annū 1200. atque adeo fuisse annorum centum duodecem, vel eo amplius, quando ad Sarracenos perrexit prædicaturus fidem: quod merito absurdum iudicauit interpres. Tu vero probas quia aliqui dicunt eum scripsisse anno 1260. & etiam ann. 1311. ex quo non magis infertur fuisse centum, quam mille annorum, quando ad Sarracenos profectus est.

Lull. 100, fuisse ann. cùm ad Sarrasenos se cōtulit, prædicat. fidem, incredibile.

At probas ex Zuyngero in suo theatro qui

ait eum *multa Opuscula scripsisse an.* 1333. *&* 80. *post annis, Epistolam ad Robertū Anglorum Regem.* Arguis interpretē quod non studuerit intelligēdæ historiæ: ego rectius te arguo quod non studueris examinandæ Historiæ. Si ita Zuyngerus habeat, qui ei credet, leuis est corde. Iungendo hoc cum dictis Bzouij, scripsisset Lullus, dum esset ducentorum tredecem annorum. Tu magnus Historiæ iudex, non iudicas hoc esse commentum, quia tuo intento deseruire iudicas. Nullus fuit Rex Angliæ nomine Robertus, cui Lullus coæuus esse posset; sed neque vllum reperio inter Reges Anglorum huius nominis; de quo videri possunt, Parisius, Vvalsingam, Houeden, Nubricens. Cambdenus. locum Zuyngeri non citas; forte ne examinetur.

Iuxta aduersarium Lullus scripsit cum esset 213 annorū.

Asseruit Interpres ex Gonzaga, P. Daza, P. Lope Paes, & constitutionibus tertiariorum, contra Bzouium, Lullum fuisse tertij Ordinis sancti Francisci, non merum laicum. Contra hoc arguit Bzouista, quia vocatur à nōnullis eremita: & Eymericus vocat eum mercatorem. Respondeo. Lullistæ, vt scis, vocant Eymericum, falsificatorem. Eremitam fuisse compatitur cum statu tertij Ordinis, qui similis est eremitico; & ideo per bullam Pauli V. (habetur in priuilegiis ff. de Pœnitentia, editis Lugduni anno 1614. in fine) datam anno 1613. nemo in Francia potest habitu eremitico indui, vel vti, sine Prælatorum tertij Ordinis licentia.

Lull. fuit 3 ord. S. Francisci.

Sed interpres non asseruit Lullum simpliciter, & absolute religiosum esse: cum quo stat personam fuisse Ecclesiasticam, non laicam. Ita

de tertiariis sancti Francisci, licet tria vota non emiserint, tenet Ioannes Capistranus, tract. de examin. Petrus de Vvaldis de canonica Episcoporum citans Baldum, & Angelum. Aufrerius de potest. sæcul. Reg.2.n.29. Silu. expresse, v. Ecclesia 1. in fine, id ait de tertiariis sancti Francisci, & sancti Dominici etiam coniugatis. Late Rodriguez 2. to. qu. 65. ar. 5. Eremitas etiã esse personas Eclesiasticas, tenet Sylu. & Aufrerius citat, Rodriguez q. 63. & alij. Lege tu Ouidij Metamorph. & Virgilij lib. Æneidos, & ex his docebis nos quid circa hoc habeant sacri Canones. Ægre fers quod tertij Ord. S. Francisci religiosi dicãtur qui vota essentialia non emittũt, vel regulã approbatã, quæ religiosos simpliciter facit, non profitentur: *& hi quoque* (inquis) *annalibus vestris inserantur*: Caue ne videaris ex inuidia loqui. S. Franciscus ordinem illum instituit: Ecclesia approbauit; quare ergo eius professores in Annalibus Franciscanorum non insererentur? nonne in Annalibus Prædicatorum mentio fit de tertiarijs Dominicanis? qui dicunt S. Catharinam Senens. nullam regulam omissis essentialibus votis professam, nonne tuo argumento, vestris annalibus, vestroque Ordini, eam eriperent? an id æquo animo patereris? sed audi quid modo circa hoc occurat.

Tertiarij sunt vere psona Ecclesiastica, esto tria vota non emiserint.

Eremita an persona Ecclesiastica?

Tertiarij, etiam non religiosi, iniuste annal. Franciscan. eripiuntur.

S. Anton. 3. p. tit 23. cap. 14, §. 2. referens quomodo S. Catharina Senens. intrauit Collegium Sororum 3. Ordinis S. Dominici, subiungit talem viuendi modum, à S. Dominico in partibus Tholosanis institutum; eius personæ gladio expugnabant hæreticos, quos S. Patriar-

S. Catharin. Sen. an vere religiosa?

cha verbo expugnare non poterat. Expugnatis autem hæreticis, *remanserunt* (inquit) *in illo modo partim religioso, cum vxoribus suis,* (*nota*) *quæ mortuis viris continenter degebant, & aliæ vtriusq; sexus Virgines, & viduæ, illis adhæserunt, vocati fratres, seu sorores de pœnitentia B. Dominici, quorum Regulam approbauit Innoc. 6.* Hunc pium viuendi modum dicunt (& videtur colligi expresse ex S. Antonino) professam S. Catharinam Senens. qui simpliciter non facit religiosos. Neque apparet tertiarias S. Dominici factas vere religiosas, vsque ad Bullam Iul. 2. directam ad Cardinalem Caietanum anno 1509. qua ei conceditur, vt tertiariæ huiusmodi collegialiter viuentes, in manus ipsius, vel deputatorum ab ipso, emittere possint tria vota: sed Patres Dominicani adhuc dubitabant an essent verè religiosæ, & ideo supplicarunt pro remedio, Paulo 3. à quo obtinuerunt per Bullam an. 1542. datam, suas tertiarias, præmisso probationis anno, emittentes tria vota fieri verè religiosas, & ad matrimonia inhabiles. Allegabant Sixt. 4. similem concessionem fecisse pro tertiarijs S. Francisci ann. 1480. de quibus vide doctissimum Rodriguez tom. 3. q. 72. art. 2. vbi ponit horum Pontificum concessiones, quarum defectu ait tertiarias Augustinianorum, & Carmelitarum nullo modo esse vere religiosas.

Tertiariorũ S. Dominici origo.

Quãdo tertiariæ S. Dom. factæ verè religiosæ

Tertiariæ Augustinenses & carmelitanæ, etiam modo non sunt religiosæ

Si hæc ita sunt, quæso Bzouista, ne ægre feras nobis ascribi nostrisque annalibus inseri qui 3. regulam S. Francisci professi sunt (quorum multos in album Sanctorum relatos nosti) esto in ti-

gore verè religiosi non fuerint, & ad matrimonium inhabiles; vel S. Catharinam Senensem, omnesque alias tertiarias S. Dominici vsque ad Paul. 3. tuo ordini eripe, tuisque annalibus expunge.

Omnia cōtra Lullū ex Emeryco. adducta.

Spatiaris longe lateque percurrens errores Raymundi Lulli, & multos contra ipsum congerens authores, sed suspectos fere omnes, quia Emeryci confratres. Iam dixi alios argumentum hoc latius tractaturos, quibus ego id relinquo. Sufficientem tamen modo reddo responsionem per modum prouisionis. Nullum adducis authorem, nisi tuo Eymerico (qui Lullum Bulla falsa damnasse conuictus videtur) recentiorem; ex quo mediate, vel immediate omnia contra Lullum desumpta sunt. Eymerico autem de falsitate damnato, corruunt testimonia ipsum sequentium.

Vasquez pro Lullo multa habet.

Adduxit interpres in fauorem Lulli. P. Vasquez. 1. p. d 133. c. 4. vbi multa habet pro defensione doctrinæ Lullianæ, & condemnatione Eymerici, quod per falsam bullam agit in ipsum; quæ ob breuitatem omitto.

Emerycus dānatus est vt falsificator bullæ, qua damnauit, Lullum.

Pater Antonius Daza magnus antiquitatum scrutator nunc in cur. Rom. dignissi. Commissar. Ord Min. 4. par. chronic. minorum, ad longū ponit processum, cum omnibus circumstantijs, quo diffinitiue damnatus est Eymericus, per Rucrend. Dominum Bernardum Episcopum Castelli, ex commissione Cardinalis Alamani, in regno Aragoniæ legati, quòd bullam illam, qua Lullum damnauit, confinxerat. Item adducit Bellarminum testantem quod viderit li-

brum secundò editum de præfata sententia, aliaque multa continentem pro defensione Lulli; & Ecclesiam, nihil adhuc in hac causa egisse, sed tam dictum librum, quàm Emeryci directorium, vbi agitur contra Lullum, libere adhuc legi. Adducit etiã Patrẽ Pinedã soc. Iesu dicentem magnam esse spem obtinendi in fauorem Lulli, supremi iudicis vicarij Christi, sententiam. *Lullus, inter beatos 3. ord. ponitur.*

In libro statut. 3. ordinis S. Franc. Italicè edito à R. P. Antonio à sillis qui postea fuit 3. ordinis Generalis, Romę impresso, habetur Raymundus Lullus inter beatos 3. ordinis, & ibi ponitur eius effigies; & P. Loppes Paes eum ponit inter viros illustres 3. ord. P. Hugo Carbonellus prædicator generalis, epistola præmissa arti memoriæ artificialis Lulli. *B. Raymundus Lullus* (inquit) *ex 3. ordine S. Francisci, quæ gratis à Deo susceperat, gratis posteris reliquit.* Mox. *eius opera quidam spreuerunt, quidam è medio penitus deturbare conati sunt, quorum malignos, & temerarios ausus &c.* Adiunxit insuper suspectum fuisse Bzouij calamum in Lullum propter duo: vnum, quod Lullus Franciscanus, Emerycus eius aduersarius, Dominicanus; quodque hic damnaretur si ille non denigraretur; alterum quod librum lepidissimum pro immaculata Conceptione scripserit Lullus. VI. *Librum satis lepidũ edidit Lullus pro Conceptione Virginis.*

Ad hæc fere nihil Bzouista respondet; sed ad sententiam in Emerycum latam. *Verum enimuero* (inquit) *non licuit Bernardo, nec legato ipsi, priuata sua authoritate, Emerycum de falsitate damnare; sed res tanti momenti ad pontificium tribunal agitanda erat.* Quis sanæ mentis non præsumat, pag. 76. VII.

Temerè asseritur, Reuerēdissimum Episcopum, sententiam pro Lullo sine authoritate, tulisse.

potius te temere iudicare, quàm legatum Apostolicum, præfatum Reuerendissimum Episcopum, cæterosque magni nominis viros, qui adstiterunt (processus enim habitus est cum maxima solemnitate, cōuenientibus Aragoniæ proceribus) sine sufficienti authoritate sententiam in Emerycum protulisse? cur non appellauit Emericus, si non agnouit authoritatem? eo non appellante, transiuit sententia in rem iudicatam; c. cum inter, de sent. & re. iudic. & tamen Bzouius, & tua sinceritas, Lullum sic sententialiter liberatum, damnatum proclamatis, & perditæ memoriæ hominem, damnatæque doctrinæ reum facitis; neque semel mentionem huius sententiæ, in ipsius fauorem latæ, neque scriptorum qui eum propugnant, sponte vel leuiter attingitis; vt lector (si rem aliàs ignorat) deceptus, nihil pro Lullo ad ferri posse arbitretur.

Mala fide, tacuit Bzouius, quæ pro Lullo dicenda erant.

Sed vt clarius constet quàm parùm curetis veritatem, vbi affectus distrahit, & quàm libere aduersarijs imponatis, & vestris parcitis, vbi id è re vestra futurum iudicatis; pro iusta Lulli defensione, subiungam sequentem corruptelam à Bzouio contra ipsum, factā, quâ 24. pestilētissimas hæreses Raymundi Neophyti Dominicani, in Raymundum nostrum sub æquiuoca nominis vsurpatione magis callida transfert. Quod vero Neophytus ille Dominicanus fuerit; patet ex registro Greg. 11. anni primi, fol 225. & probat Pegna 2. p. direct. com. 52. satis fusè. Bzouius tamen pro suo candore, ad an. 1372. n. 14. non tātum institutum subticuit, (quod etiam eodem candore ante fecit Emerycus 2. p. direct.

Bzou. subtituit sui Neophyti, hæretici, institutum.

q. 27.) ſed etiam omnes errores ſui confratris Raymundi Neophyti, aſcribit noſtro Raymundo, licet apud Emerycum, ex quo eos deſumpſit 2. p. q. 10. aſcriptos ſuo Neophyto viderit; relatis enim erroribus, quos Emerycus tribuit Lullo 2. p. direct. q. 9. & poſita bulla condemnationis eorum, ſubiungit. *Raymundi Dominicani hæreſes aſcribit Raymundo Lullo.*

Hæc Pontifex Greg. poſt annos 4. de libris Lullinis ſanciebat, cum hoc anno, omnibus inquiſitoribus datis literis p. 131. vt illos, alios iam examinatos. damnatoſque exurerent, præcepiſſet; necnon ipſe eo ipſo anno, Raymundi Neophyti (tacet ſtatum) *libros hæreticales reprobaßet, pag. 197. in minori volumine an. 2. ſecretorum.* Quaſi furtiue huius ſui Raymundi mentionem facit, eoque tantum fine, & ſubdola intentione, vt ſi vrgeretur de impoſtura, poſſet dicere aliquo modo ſe intendiſſe, loqui de Neophyto; quod tamen manifeſte falſum eſt, vt intuenti patet. Statim enim relatis erroribus Lulli, & eorum condemnatione, incipit, ſic à linea. *Scripſit Raymundus librum de inuocatione Dæmonum*; (Hunc tribuit ipſe Lullo ad an. 1260.) quem tamen (Pēna ſupra probat eſſe Raymundi Dominicani) & ad marginem, ponit maiuſculis. *Hæreſes in opuſculis Lulli contentæ*. Tranſlatis ſic in Lullum, ſui confratris pernicioſiſſimis hæreſibus, ſubdit. *Præter iſtos articulos non deerant ſectatores Lulli, qui alios quoque errores his temporibus aſſererent; & ſunt infraſcripti.* Et in margine maiuſculis; *Alij Lulliſtarum errores numerantur.* Et in indice nullam facit ſui Raymundi mentionem, ſed omnes errores in noſtrum Raymundum iactat. *Bzouius.* *Librum de inuocatione dæmonum Raymundi Dominicani aſcribit, Bzouius Raymundo Lullo.*

Hoccine est agere historicum Ecclesiæ? falsitatem manifestam pro veritate obtrudere? infamem corruptelam pro historia scribere? annales Ecclesiæ, qui nihil nisi solidum & constans continere debent, huiusmodi imposturis, quasi lepræ cuiusdam (vt de Cajet. Catharin. dixit) admixtione fædare? Columna veritatis abhorret falsitatem; & odit Deus, omnes qui operantur iniquitatem, & perdet omnes qui loquuntur mendacium. Remitto lectorem ad loca citata in Bzouio, & Emerico, vt videat ad oculũ infames imposturas, quibus visis, obstupescet, quod tam fædæ corruptiones, annalibus titulo historiæ Ecclesiasticæ ornatis, inseri permittãtur.

Cum Bzouio. & te ipso, quia vtrumque grauiter Pag. 90. *læsisti, visis hisce scholijs, in amicitiam redi; palinodiam cane tot conuiciorum, & tunc si iubes, taceo.* In amicitiam redeat qui eius leges violauit, & palinodiam canat, qui falsa scripsisse & conuicia euomuisse cõuincitur; æquus lector visa hac tui refutatione, non Scoti iustum vindicem, sed Bzouium iniustum aggressorem, teque eius asseclam, ad vtrumqne damnabit. Amicitiam cum Patribus Prædicatoribus illæsam seruamus, quibus tuos Bzouianosque excessus minime imputamus, quod non dubitemus quin eis, sicut & omnibus bonis, displiceant; vobiscum etiam quam violastis, restaurare cupimus, si prius, vt iustitia exigit, illata nobis damna resarcire curetis.

Ad Lectorem

Dedi in initio huius responsionis (beneuole Lector) rationem scriptionis meæ; dixi in eius

decursu pro magistri mei P. Cauelli, sed præcipue pro Ioannis Duns Scoti, totius Ordinis (cuius sum membrum, licet indignum) Doctoris, iusta defensione, quæ occurrerunt, iure naturæ (quo magistros reuereri ac tueri tenemur) id suadente: si asperius aduersarij excessus aliquando reieci, & verbis minus politis, refutaui; rogo æqui cõsule, & imputa ei qui imperitum, & politioris litteraturæ ignarum, ad scribendum lacessiuit; hac ratione sibi veniam deberi contendit Ruffinus contra Hierõ. paulo post prin. *Quia* (inquit) *non alios accusamus, sed nosmetipsos à maledictis purgare contendimus; & ideo studemus vt non tantùm sermo, quantùm veritas luceat. Eloquentiæ copia* (vt cum eodem loquar) *requiratur ab eo qui ad culpandum vel vituperandum cucurrit; qui vero obiectas à se depellere maculas cupit; necessitate sibi responsionis imposita, non quàm eleganter, & ornatè, sed quàm verè respondeat, cogitabit.* Rudioris stili, & incomptæ orationis reum ipse me pronuncio; an autem dictionis ruditati coniunxerim veritatem, & incompta oratione solidas adduxerim rationes, iudicem te constituo. Non offendaris quæso, hac nostra contentione; Angeli Persarum & Iudæorum contendisse [a] leguntur; Petrus, & Paulus suas habuere lites [b]; Paulus, & Barnabas dissentionibus non caruerunt [c]. Hieronymus, & Augustinus contra se mutuò [d] dimicarunt. Chrysostomus, & Epiphanius quæstionibus, & dissidijs se exercuerunt [e]. Alteram partem vel forte vtramque li-

Veritas magis curãda quam verborum ornatus.

a *Daniel* 10.
b *Gal* 2.
c *Act.* 15.
d *Epist.* 19: *Aug.* & 89 95. 97. *apud Hieron.*
e *Sur. tom.* 1. *fol.* 687.

tigationis nostræ, ignorantia subinde excusat, quamuis in multis aduersariā inexcusabilem esse ostēderimus. Ego de me protestari possū si offendi, ex malitia minime offendisse; indignus ergò veniâ non sum, si peccaui. Tradidi quæ hic scripsi, viris intelligentibus, & Deum timentibus reuidenda, & examinanda, quos rogaui si quid offenderent contra Dei legem, vel animæ meæ salutem, inculpatæ tutuelę limites transiliendo; libere expungerent. Diffidebam enim in causa propria, meo iudicio. A conuitijs, ni fallor, abstinui, & iniurijs; nisi talia vocentur, aduersarij contumelias, conuitia, falsitates, & corruptelas detexisse, & refellisse. Necessitas nos tuendi imposita est inuitis: rei sumus, non actores; defensores, non aggressores. Scotum à Bzouio defendit Pater Cauellus, ego ipsum, à Iansenio. Omni iure nobis fauendum, donec altera pars suam probet intentionem; probabit autem ad Kalendas Græcas. Belli finem, pacem, cum aduersario Prædicatore, aliàs cōfratre dilecto, auidè optamus; quia tamen *iustitia, & pax osculatæ sunt* damna honoris iniustè nostris illata, iustè resarciri petimus. Si autem calamo iterum nos impetere velint, non transeant perfunctorie, neque dissimulent quæ pro nobis adduximus, sed singula refutent, si possunt, eandem mensuram à nobis accepturi, quam & in hac responsione obseruare curauimus. Tu interim, beneuole lector, vtriusque partis rationes æqua lance pondera, & pro meritis causæ iustè iudica. Vale in Christo Iesu.

FINIS.

REFVTATIO ADDITIONUM, quibus P. Nicolaus Iansenius suum libellum contra Apologiam pro Scoto, eiusque Authorem, auxit in 2. editione, qua eum vt appendicem adiunxit tertio tomo Annalium Bzouij.

Postquam præmissa iam ad prælum parassem, accepi notulas quibus Bzouista suum libellum auxit secunda editione, nouo adiecto titulo Appendicis ad Bzouium: quibus breuiter hac appendicula respondere operæpretium duxi.

BZou. Cap. 1. *Cunctanter* (inquit) *& trepidè posuit* (Scotus) *sententiam de immaculata Conceptione, ita vt nihil asserat.* Ostendi oppositum supra cap. 1. vbi demonstratum est mala fide te locum Scoti citasse vel potius corrupisse: quod si Medina oppositum de Scoto asseruit, ex verbis eius supra adductis, errasse conuincitur. Verùm tamen vt clarius

innotescat, vter amborum Diuus Thomasne, an Scotus fluctuauerit & trepidauerit in sententia de immaculata Conceptione? audi testem illis sæculis viciniorem, Carolum Fernan. in suis Comment. super Carm. Gaguini de eadem immacul. Concept. Fo. 2. *Thomas* (inquit ille) *Aquinas, quem & scientia & moribus mirum in modum excelluisse non negamus, eo tempore viguit quo ecclesijs non paucis Virgineæ Conceptionis celebrandæ consuetudo probatissima fuit; quod quum virum doctum sanctumque minime lateret, eadem qua prisci viri, quos supra memorauimus, dubitatione fluctuauit, adeo vt in varijs locis, varia imo verò contraria sensisse negari non possit. Quique aliter atque nos dicimus, rem sese habere credunt, eius viri scripta non satis studiosè legisse videntur. Interim tamen non defuere qui clarissimam Virginem omni semper caruisse macula citra dubitationem omnẽ liberius asseuerarent. Fuit in hac sententia Io. Scotus, eiusque imitator Thomas de Argentina, alijque plures quorum recensere nomina nihil attinet.* Hæc Carolus, quem tibi nisi iterum hîc lacesseres, non ostenderem; tria enim inter alia palato tuo iniucunda & amarissima pocula tibi propinat: primum, testatur, vt vides, D. Thomam in hac quęstione dubitabũdum fluctuare ac contraria sibi docere; Scotum autem citra omnem dubitationem in sua sententia stabilem perseuerare. Secundum, tuum Vincentium de Castronouo cum

D. Thom. fluctuare in quæst. de Cõcept. V. asserit Car. Fern.

compli-

complicibus malè tortum ibidem videbis, ipsum enim asserit Gaguinus indomitum & ferum hostem, dirum ostentum, è stygio lacu genitum, vultu quidem ouem, introrsum autem sæuam viperam, hæresis notissimum authorem, ac propterea dignum quem cum suis libris dira fulgura feriant. Hæc repetit & approbat Carolus, addens Vincentium prædicatorculum petulantissimæ linguæ, garrulum fuisse, & immanem belluam. Tertium: ibi videbis vtra pars litigantium de Concept. mysterio constantius & vtra pertinacius procedere censenda sit? quod testimoniũ (quia tibi parci non permittis, toties negotium facessens, vt quod semel aut iterum in honorẽ tuum tacitum est, vel ab inuito produci prouocas) in mediũ proferre lubet. *Præter solos* (ait ille) *Prædicatores, qui nescio quâ ducti pertinaciâ, in contraria persistere sententia maluerunt, vix inuentus est quisquam qui gloriosissimæ Virginis Conceptionem originali macula fuisse fœdatam, cõtendere vellet.* Præter hæc, plura reperies apud hunc authorem quorum te pudebit. Ego ea prætereo, quippe qui neque hæc ipsa, nisi inuitus, tibi ostendi.

Vincent. de Castr. qualem censeant aliqui.

Prædicatores quidam pertinaces in opin. de concept. Virg.

Ibid. improbas quod Scoti vindex vniuersitatem Coloniensem Scoto coextitisse, magnoque honore ipsum affecisse asseruerit, cum multis annis, postea ipsa instituta fuerit. Respondeo Scholam Coloniensem tunc extitisse, & per Scotum magna ex parte ad eam perfectionem promotam, vt vniuersitatis titulo decoraretur. Sic intelligendi authores per ipsum ibi adducti,

cum dicunt fundamenta illius vniuersitatis per Scotum iacta primùm fuisse. Hi sunt Rodulphus l. 3. hist. Seraph. Henricus Vvillot in suis Athenis, Gulielmus Vvorillon in epilogo 4. sent. Paulinus Berti. Augustinianus in epist. Scoti operibus præmissa, Io. Pitsæus, Decanus Liuerdun. in Lotaringia, de scriptor. Angliç, Heruuartus Cancellarius Bauariæ in syllabo errorum Bzouij ad an. 1294. & alij.

Bzou. cap. 3. *Legatur Gerson tom. 4. lec. 1. consid. 5. littera c. & constabit vtrum in Scoto sit densa, & spissa obscuritas.* Legi illam consid. 5. & reperi Gersonem magna cum laude de Scoto, & Scotistis ibi loqui: valde ei displicet, & reprehendit quod *formalizantes erigunt aciem intellectus ad rerum quidditates intuendas, denudantes res materiales suis accidentibus, vt sunt locus, figura, tempus, & similia, quatenus his abstractis velut veste, remaneat nuda quidditas, & sic se mentis oculo repræsentet.* In hoc non magis reprehendit Scotum, quam D. Thomam, eiusque sequaces, & omnes Logicos, & Metaphysicos, (præter Nominales) qui hoc modo considerant naturam à suis singularibus abstractam.

Gerson reprehendit abstrahentes quidditatem ab inferioribus

11 vide D. Thomam in multis locis suorum operum, denudantem naturam à suis conditionibus indiuiduantibus, & palpabis eadem reprehensione, quantùm ad istud, cum Scoto inuolui.

Reprehendit etiam Gerson ibi, eos qui in pertinaci vnius Doctoris defensione, vel impugnatione hærent, & positiones aliorum de facili iudicant repugnantes; nec laborant pro earum

concordia. Et hac occasione laudat deuotum Bonauenturam, qui sic non faciebat, sed varias positiones purgabat & vniebat. Et consid. 2. reprehendit quod Theologi, maxime regulares, his vel illis magistris ita se addicant, vt ægrè ferant si quis dicat hunc vel illum Doctorem non bene sensisse. In his meo quidem iudicio plus ferit Thomistas quam vllos alios, quia omnium ægerrimè ferunt si suo magistro contradicatur, adeo vt clament taliter contradicentes *semper esse de veritate suspectos*: iurant etiam solemniter in verba sui magistri, quod Scotistæ non faciunt.

Reprehēdit Gerson astringentes se alicui particulari doctori, ita quod nefas putent ab eo discedere.

Sub dicta consid. 5. *Scotus* 1. *d.* 2. *q.* 1. *& vlt. potest vocari hæc distinctio virtualis, quia non habet rem, & rem, sed quasi virtualiter duas realitates, &* d. 3. *l.* 3. *q.* 1. *si arguas Maria in primo instanti est iusta; dico quod non: sed neque intelligitur iniusta, & abstrahentium non est mendacium, &c.* Nec aliud circa hoc dicit, nisi quod breuius dixisset Scotus non esse ibi distinctionem formalem. Secundum locum de Maria, & obscurius multo, & longe aliter quam apud Scotum est adducit; ibi enim clare, & pulchre explicat Doctor, quomodo licet prius natura competat Mariæ carentia gratiæ, quàm gratia; nunquam tamē fuit actu priuata gratia: similem pulchram doctrinam habet 2. d. 1. q. 1. explicans qualiter creaturæ prius naturâ conueniat non esse, quam esse; idque verum esset, licet haberet esse ab æterno. Homo in primo instanti naturæ non est risibilis nec irrisibilis, quia pro illo instanti neutrum horum ei conuenit, sed pro secundo instā-

Creaturæ prius competit non esse, quam esse, etiamsi ab æterno esset.

ti naturæ Mariæ debebatur, carentia iustitiæ, & actu ea careret, essetque pro eodem instanti iniusta, nisi daretur ei gratia, vt factum est. Et qui huiusmodi instantia, signa, & prioritates tollit è medio, Scholasticam Theologiam simul destruit, & viam explcandi varia fidei mysteria.

Sed adhuc audi quam alienus sit Gerson à tuo de Scoto, iudicio. *Placuit* (inquit) *huius Doctoris* (Scoti) *inter cæteros meminisse, quoniam ipse non singularitate contentiosa vincendi* (nota Bzouista) *sed humilitate vti, mihi visus est; & si Doctoris istius mentio repellatur ab altero, ipse viderit quàm vere & sobriè id faciet. Ego nec scio, neque præsumo, aliter dicere quàm quod resolutio Scoti, & suorum, stet cum pietate fidei, & essentiæ diuinæ vnitate.* Adduxisti Ianseni hunc authorem recte in caput tuum; præsumptuosè asseruisti voluisse eum Scoti laudibus detrahere, qui *nec scit nec præsumit aliter dicere*, quam quod conformiter ad fidei veritatem Scotus sit locutus. Ipse eum laudat, & extollit, & alios reprehendit: *quot ibi* [inquit] *prioritates, instantia, signa, quot medietates, & rationes, aliqui vltra Scotum confingunt?*

Gerson reuerenter de Scoto loquitur.

Vt autem scias, quanta fuerit Scholæ Scotistarum æstimatio, & supra suos æmulos præeminentia, si Gersoni contra Scotum à te adducto, credas; audi quod subiungit. *Vereor ne curiositatem increpans, in eandem me demergam cum studeo eos, quos Scotistas vocamus, ad concordiam*

Numerus Scotistarũ major aduersarijs multitudine & authoritate secũdũ Gersonẽ.

tum alijs doctoribus adducere, quorum certe numerus longe maior est, & multitudine, & authoritate. Vides tempore Gersonis ipsius iudicio, Scotistas Doctoribus aduersariis, numero & authoritate fuisse superiores; quinam sint, quique tunc fuerint Doctores Scotistis aduersarij, quos multitudine, & authoritate iudicauit ipse ijs inferiores, tibi, & omnibus sat notum est.

Cap. 8. ais Trithemium, Mayol; Senens. & Ioann. Baleum asserere Doctorem subtilem Scotum esse natione, quod Baleus (*inquis*) *cum Anglus sit minime asseruisset, si pro certo non haberet.* Duo horum tibi fauent: alios duos solita mala fide, & corruptelâ tecum rapis. Mayolus enim ait esse Britannum, Baleus cent. 4. fol. 215. natum asserit in villa Emyldun in comitatu Northumbriæ in Anglia: & non erubescis, hos citare testes contra tuam conscientiam, vt lectori ignaro per fas vel nefas, imponas, & in tuam sententiam trahas? qui de huiusmodi imposturis non erubescit, *nonne frons mulieris meretricis facta est illi, quia noluit erubescere?*

I V

Baleum, & Mayolum mala fide citat Bzou.

Ibidem citat Myreum in quadam epistola ad ipsum data dicentem, Doctorem subtilem Scotum natione: magni facienda est eruditissimi Myrei antiquitatis, indagatoris solertissimi, censura; sed quis id eum scripsisse credet? an quia Bzouista toties de imposturis conuictus id asserit? facilius Myræi epistolæ imponere potuit (cuius autographum videre non possum) quam Balleo, & Mayolo, quos tamen contra expressa eorum verba citare non erubuit, vt iam ostendi. Sed demus quod ipse ex eruditissimo Myræo ad-

Myreus non

asserit, Doct. subtile Scotum natione: ducit: is tantum ait *Doctorem subtilem Scotum esse, si Scotis eruditis credendum sit.* Et ego dico Hibernum eum fuisse si Hibernis eruditis credendum, & Anglum, si Anglis: & idem mecum Myręus attestabitur; nihil ergo contra nos adduci ex ipso potest, licet eius esse concedamus, quæ tu eius nomine nobis produxisti.

Cap. 10. *Conradus Parochus Magdeburgensis respondens libris Occam multa ad Carolum 4. authorem scelerum, & hæresiarcham eum vocat, ac deprauatorem Philosophiæ, & Theologiæ.*

V Hoc habes magistri tui Bzouij, cui maximæ curæ fuit, si quid à quoquam acerbius in Minores dictum reperiret, suæ id historię inserere, nihilque in oppositum adducere: quod perinde est ac dictum approbare. *Iniuria maledica Occã vocare hæresiarcam.* Si hæresiarcha est Occam vbi eius secta? quas hæreses docuit edissere nobis? in quo Concilio, vel Pontificio Decreto damnatus est, palam tãdem fiat? Quænam porro scelera illa, quorum author fuit? doce si potes. Quod pro Ordinis sui statu Pontifici se opposuerit, ex zelo fecit, licet non secundum scientiam; in quo neque ego ipsum excusauerim, licet minus culpandum existimem, quod honorem tantùm ordinis se tueri velle profiteretur. Quod autem minus humiliter, minusuè modestè in suis scriptis in Pontificem locutus fuerit, tecum accuso; quamuis Pontificem iniustè contra suorum prædecessorum decreta, Ordinem Minorum vexasse non dubitem. Propter hæc, authorem eum scelerũ facere tua est calũnia. Philosophiæ vero, & Theologiæ deprauator fuit? nempe hoc *Iniuriose,* non obscure indicat schola Nominalium Occa-

mi doctrinæ astruendæ erecta; & scriptorum eiusdem propugnator & illustrator celebris Gabriel Biel, qui hunc venerabilem inceptorem (sic enim appellatur) non parum de re literaria meritum ostendit. Profecto si deprauatorem eum deprehendisset, non suum ingenium eius operibus explanandis deprauasset. Ignotus ille pastor, ignotos sibi fuisse celebres Philosophos & Theologos ostendit, dum hunc Philosophum, & Theologum profundissimum ab eorum numero segregandum censuit; neque enim deprauatorem Philosophiæ Philosophum dicimus. Perpende ex his Bzouista quam cæcum, & præceps Conradi tui de Occamo iudicium adduxisti. *& falsè dicitur Occam Philosophia, & Theologia deprauator.*

Incipit alias Scoti opiniones graui nota indigitare Bzouista, neque erubescit principem Theologorum taxare, grammaticus quidem ipse, qui vix Theologiam gustauit, taxari se à Nazianzeno non aduertens, qui de hæreticis asseruit orat. 33. quod cum sua minimè stabilire possunt, *quemadmodum muscæ vulneribus, ita nostris calamitatibus, aut si mauis erratis, imminent.* Sed in Scoto errata non reperiet, & nos ipsius censuras erraticas ostendemus, & liuore plenas. *Scotus ait* (inquit) *primum hominem non esse in gratia creatum; idque parum esse tutum Molina docet; & concilijs, & patribus adductis à Bellar. de grat. prim. hom. c. 3. non quadrat, præcipue Tridentino.*

Respondeo. Tua ignorantia hanc sententiam censurandam iudicat. si Theologus esses *Primum hominem non*

fuisse, in gratia creatum, probabile. non ita iudicasses: Eam tenent Hugo de S. Victore. 1. de sac. p. 6. c. 17. Alens. 2. p. q. 91. m. 1. D. Bonauent. 2. d. 29. ar. 1. q. 2. Richard. ibi ar. 1. q. 1. Mars. 2. q. 16. ar. 16. Ægid. ibi. p. 1. q. 2. Palud. 4. d. 27. q. 4. a. 4. con. 2. & Bannes tuus 1. p. q. 95. ar. 1. probabilem asserit, neque vllus præter inscitam loquacitatem, eam censurauit; neque absque temeritate censurari potuit sine expressa Ecclesiæ definitione, quod tot præclari doctores sustinent. Patres apud Bellarm. oppositum non astruunt; tu Patres non intelligis, & minus Tridenrinum, in quo. ss. 5. legitur primum hominem *Perdidisse sibi, & posteris gratiam, in qua constitutus fuit:* Ex quo tantum elicitur ante lapsum habuisse gratiam, siue in primo instāti eā habuerit siue non. *Asserunt etiam plurimæ sanctorum authoritates* (inquit D. Thomas 1. p. q. 95. ar. 1.) *primum hominem ante lapsum gratiam habuisse; & quod fuerit conditus in gratia vt alij dicunt, videtur requirere ipsa rectitudo.* Modeste S. Doctor tenendo alteram vt veriorem, sed quasi dubitatiue per ly, *vt videtur.* Vasq. 1. p. d. 227. c. 7. solum ait illam partem esse probabiliorem. & idem docet huius temporis Theologorum maximus Franciscus. Suarez l. 5. c. 4. de Angelis, & l. 7. de gratia c. 23. qui tenent Angelos non esse in gratia creatos, à fortiori teste Suarez l. 3. de opere sex dierum c. 17. idem tenent de Adamo, quia plura sacræ scripturæ loca de Angelo partem affirmatiuam suadent, Hug. sup. p. 5. c. 29. & in summa sent. tr. 2. c. 2. Rupert. in Genes. c. 14. Magister 2. d. 4. ar. 1. q. 2. vbi Richard. Bassol. Ægid. Gab. 4. d. 5. q. 1. ar. 2. Alens.

VI.

Tenētes angelos nō esse creatos in gratia, idem tenēt de primo homine.

2.p. q. 19. membro 2. consentire videtur Aug. 1. de Gen.ad lit. c. 3.& 17.l.2.c.18.& alias sæpe, vbi per id, *creauit Deus cælum*, *& terram*; intelligit Angelos creatos informes,& per id *fiat lux*, eosdem gratia formatos, & de vtroque idem insinuat l. de corrept. & gratia c. 10. *credimus Deum*, &c. *sic ordinasse angelorum*, *& hominum vitam*, *vt in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium*; *deinde quid posset suæ gratiæ beneficium*. Consulo Bzouista vt Theologiam prius exacte discas, quam Theologicas opiniones, & maxime grauissimorum authorum, censurare præsumas. Sed quare non citas locum vbi Scotus primum hominem in gratia creatum negat? frustra quæro quia nunquam eum legisti.

Aug. videtur insinuare, quod Angelus & primus homo, non fuerint creati in gratia.

VII.

Hæc dicta sunt, ac si Scotus illam sententiam tenuisset, quam non tenuit: sed tu more solito ei imponis, nec locum citas: citatur forte ab aliquo pro illa parte, 2. d. 29. q. vn. Sed ibi nihil ad rem. ad quartum ait, *Non oportet quod iustitia originalis sit principium merendi*, *sed se habet ad gratiam sicut excedens ad excessum*. Ex quo non habetur primum hominem non esse creatum in gratia: legatur à d. 18. secundi vsque ad d. 34. vbi agit de statu innocentiæ, iustitia,& peccato originali;& nihil pro illa parte dixisse constabit. Sed neque negauit Angelos in gratia creatos, (idem de eis & primo homine iudicium) immo oppositum insinuat 2. d. 5. q. 1. ad 2.& §. *sed ad inquirendum*,& q.2.ad 2. *dubium est* (inquit) *vtrũ boni*, Angeli, *fuerint in primo instanti*, *in gratia*.

Scotus nusquam negauit Angelos aut 1. hominem in gratiâ creatos.

Molina, inquis, 1.*p*.*q*.42. *ar*. 3. *disp*. 1. *censurat hanc opinionem Scoti vt non tutam*. Infamis impo-

ſtura: neque dicit eſſe Scoti, neque cenſurat, neque loco à te citato de hac re agit, ſed q. 62. ar. 3. vbi ait Scotum ancipitem eſſe an Angeli creati fuerint in gratia, & idem iudicium eſt de primo homine ex Suar. ſupra. Cenſurat quidem aliam ſententiam non Scoti, ſed tui Paludani: *ex dictis* (inquit) *conſtat, non eſſe tutam poſt Trident ſententiam Palud. 4. d. 24. q. 4. ar. 4. & Marſ. 2. q. 16. a. 6. dicentium Adam ante lapſum, non habuiſſe gratiam.*

Tria errata Bzouiſtæ.

Recollige te parumper Bzouiſta, & agnoſces in prima tua, inter additas, in Scotum, cenſurâ, tria tibi craſſa excidiſſe errata; primum, quod ſententiam probabilem tot claſſicorum doctorum, à nullo notatam, damnare præſumpſeris: ſecundum, quod eam Scoto falſo attribueris: tertium, qnod à Molina, Scoto tributam, & cenſuratā, mala fide ſcripſeris. Appendix huiuſmodi mēdacijs referta, mirum eſt ſi impune annalibus eccleſiaſticis annecti permittatur. Sed Bzouianis additur: dignum patella operculum.

Ibidē ait Gerſonē to. 4. ſec. 1. *Pænitemini* conſid. prima, grauiter reprehēdere minores, quod omiſſo Bonaueutura Scotum imitentur. *Nec Mirari*, inquit, *ſufficio qualiter patres & fratres Minores, omiſſo tanto doctore (qualē neſcio ſi vnquā ſtudiū Pariſienſe habuit) conuerterint ſe, ad neſcio quos nouellos*. Ne ægrè feras, iudicio Gerſonis, quo nos impetis, D. Bonauenturam D. Thomę prelatum, hîc & epiſt. à te citatâ in additione ad c. 3.

Gerſon. Bonauēturam omnibus Dd. præfert.

Demus tibi Gerſonem prætuliſſe Bonauenturam Scoto, ideone reprehendendus, & reij-

ciendus Scotus? prætulit eundem D. Thomæ, & omnibus doctoribus, locis citatis, neque ideo tu admittes quicquam honori D. Th. detractũ, sed Gersonem deceptum errasse proclamabis. Ego non sic, sed probabiliter loquutum faterer, si huiusmodi comparationem fecisset. Sed eam, non fecit, neque incidit ei Scoti mentio. Neque inter illos nouellos eum comprehẽdisse potuit. Obijt D. Bon. an. 1274. & Scotus secundum tuum Bzouium, viginti pòst annis, & secundum veritatem, non multum vltra, mors eius dilata est: non potuit igitur cõparatione D. Bonauẽturæ nouellus dici, qui 20. circiter annis eo iunior fuit. De alijs ergo, Scoto recentioribus, forte Occam, Aureolo, Mayronio & formalistis, loqui censendus est Gerson. Tu mi Ianseni qui Scotum inter illos nouellos doctores collocas, in examinandis authorum dictis, nimis es nouellus.

Scotus ad Bonauenturam collatus non est nouellus.

Ibidem *ex Bellar. 3. de Euchar. c. 22. Scotus aßeruit ante Lateranen. transubstantiationem non eße dogma fidei, quod est contra Trident. ss. 13. c. 4.* Id habet fateor Bellar. & addit, *ideo eum hoc dixisse, quia non vidit concil. Rom. sub Greg. 7. neque consensum patrum, quem* (inquit) *supra adduximus*: Tridentinum à te adducitur vt Scotum damnes.

VIII.

Respondeo. Scot. 4. d. 13. q. 3. (quem Cameracen. ibidem & omnes Scotistæ sequuntur) tenet quod sacra scriptura euidenter non conuinceret transubstantiationem, nisi adiunctâ Ecclesiæ declaratione; Ecclesiam tamen hoc declarasse spiritus S. instinctu. *Id* (inquit Bellar.)

Non est improbabile quod S. S. transubstã tiationem

non est omnino improbabile, quia etsi scriptura quam supra adduximus, nobis videatur ita clara, vt possit cogere non proteruum; tamen an ita sit, merito dubitari potest, cum homines doctissimi, & acutissimi, qualis imprimis Scotus fuit, contrarium sentiant. Hoc tantum asseruit Scotus; & explicat contra D. Thomam, quomodo illa propositio, *hoc est corpus meum*, esset vera etiamsi panis maneret, vel ex intentione proferentis, vel ratione principalis contenti sub speciebus; neque ad veritatem eius requiritur nihil sub speciebus contineri præter Christi corpus. Non dixit Scotus transubstantiationem non fuisse dogma fidei ante Concil. Lateran. & Bellarminus salua pace tanti viri, in eo deceptus est, quod hoc Scoto inaduertenter tribuerit, qui dixit §. *Quantum ergo ad istum*, hoc esse definitum cap. firmiter. de sum. tri. ex Lateran. at non negauit antea fuisse definitum. Quod dicit Bellarminus eum de hoc nõ vidisse Patres, nec Concil. Rom. sub. Greg. 7. etiam inaduertenter dictum est, quia adducit Scot. duas authoritates satis expressas Ambrosij, remittitque se ad alias multas quæ habentur de consec. d. 2. & apud magist. d. 10. & 11. quas vidit, & legit; illa autẽ authoritas Concil. Rom. habetur de consec. d. 2. cap. *Ego Berengarius*; vbi tamen non agitur ex professo de transubstantiatione, seu de panis & vini desitione, sed de vera & reali Christi sub speciebus panis & vini præsentia, quam Berengarius negabat. Si Scotum adijsses hęc videre potuisses, & Scholium eius, quem impugnas, hoc te errore liberasset, si illud inspicere dignatus fuisses. Concilium Triden-

euidenter nõ coniuncit, nisi addas Ecclesia declarationem.

Scotus nihil asseruit de transubstãtiatione contra concilia.

tinum à te adductum, nihil contra præmissa habet; tu melius intelligis Ouidium, quàm Concilium, & tamen censorem grauissimorum Theologorum agis, à solo temetipso hac dignitate donatus. Differit quidem concilium, *Quia Christus dixit quod offerebat, esse suum corpus, Ecclesiam persuasam fuisse non mansisse panẽ.* id est, licet illa verba possent habere alium verum sensum, Ecclesia à Spiritu sancto edocta, hunc elicuit, quem alij assistentiam Spiritus sancti non habentes, possent non elicere. Sic Ecclesia per eandem Spiritus sanctus assistentiam in Trid. ss. 13. c. 7. intellexit illud. *Probet autem seipsum homo, &c.* de probatione per confessionem post mortale; quam tamen non requiri, quia illam assistentiam non habuit, asseruit tuus Caiet. 3. p. q. 80. ar. 4. & in summ. Ver. communio; de quo Suar. 3. to. 3. p. q. 54. 66. Sec. 3. cuius sententiam erroneam asserunt tui patres; Canus relec. de Pænit. p. 5. Catharin. l. 5. contra Caiet. & Sixt. Senensis. l. 6. Biblioth. annot. 261. Suadeo tibi amice ne in Theologicis Magistrum te facias, vel censorem, donec quæ sunt discipuli prius, exactè præstiteris.

Caiet meritò reprehenditur.

Ibidem. *Scotus docet Christum, absolutè potuisse peccare: contra quam sententiam ait Capreol. ex Valent. tom. 4. d. 1. q. 15. p. 2. non argumentis, sed flammis agendum.*

Respondeo. Scot. 3. d. 12. q. vn. ar. 2. docet Christum impeccabilem esse, & idem ait d. 2. q. 1. n. 12. quia Deus de potentia ordinaria non potest, non dare summam charitatem, gratiam, & fruitionem naturæ assumptæ, quibus exclu-

Scotus asseruit christũ impecabilẽ esse.

IX.

ditur omne peccatum. Vides oppositum tui asserti ex diametro, à Scoto doceri; sed docet hanc impeccabilitatem non competere Christo præcise ratione vnionis hypostaticæ; neque Patres vel Concilia loquuntur cum ista præcisione. sequuntur Scotum Bassol. ibid. q. 1. Dur. q. 2. Rubion. q. 1. & 2. Gab. d. 1. q. 2. ar. 2. Marsil. 3. q. 9. ar. 2. Ouando ibid p. 339 Rhada 3. p. centro. 4. ar 3. Faber 3. d. 17. & omnes Scotistæ. & consentit Henr. quodlib. 6. q. 6. si tuus Capreolus dicat contra hanc sententiam, flammis agendum esse; responsum dedit is quem impugnas, scholio ad locum citatum Scoti; *censuram caprinam nihilfaciendam esse*. Valentia quem adducis vt citatorem flammæ Capreoli, non approbat eius flammas. *alia sententia*, inquit, *melior est*. Non ardet immodestæ & inuidiæ flamma.

Christus impeccabilis, sed non ratione vnionis præcisè.

Ibidem. *Scoti sententiam negantis lumen gloriæ pro visione beata, Caiet. & alij dicunt esse damnatam in Concil. Viennens. vt citat. Mol 1. p. q. 12. art. 5. d. 1. & Vasq. ibid. dist 42. c. 2.*

Scotus nusquam negauit necessariũ esse lumen gloriæ ad visionem Dei.

Respondeo falsò imponi Scoto quod negauerit lumen gloriæ, vel aliquid illud supplens, ad visionem beatam eliciendam, qui habet in 1. d. 17 q. 3. fi. *Nullus negat communiter habitum luminis gloriæ in intellectu*. & 3. d. 14. q. 2. num. 4. ait *visionem Dei non posse inesse animæ Christi naturaliter vel ex causa naturali*. idem habet 4. d. 49. q. 11. n. 9. & ad. 3. & q. 1. prolog. & 2. d. 3. q. 9. n. 7. & quodlib. 14. quibus locis docet nullũ intellectũ creatũ naturaliter posse videre diuinã essentiã. docet quidem si ponatur intellectum esse tantum passiuum respectu visionis, non esse neces-

ſarium lumen, quia hoc ponitur ad efficiendum, non ad recipiendum ; ſed hanc ſententiam non examinat, quam tenet Occam 2. d. 1. q. 2. & 4. q. 15. art. 5. dub. 6. Gab. 3. d. 14 q. 1. Marſil. 3. q. 10. & alij Nominales.

In Concilio Vienenſ. & habet Clem. ad noſt. de hæret. non definitur dari habitum luminis gloriæ, ſed tantum contra Beguardos, & Beguinas viſionem non poſſe elici ex naturalibus, vt fatentur Molina, & Vaſquez à te citati, qui improbant Caietani cenſuram.

In duobus circa hanc cenſuram lapſus es: 1. Scoto falſum impoſuiſti. 2. adduxiſti Molinam, & Vaſq. vt teſtes cenſuræ Caietani, & aliorum (ſupple tuorum) in Scotum, atque vt lectori imponeres, ſubticuiſti quod ipſis iſta cenſura diſplicuerit, quia contra tuos tenent non definiri habitum luminis gloriæ dari, ſed tantum viſionem ex naturalibus non elici: quod docet Scotus, vt iam oſtendi.

Ibid. *Scotus ait Chriſtum eſſe filium Dei, adoptiuum, contra Concil. Francford. & Adrian.* 1.

Reſpondeo tibi ex ſcholio eius, quem impugnas 3. d. 10. q. vn. Scotus docet oppoſitũ, ſcilicet *Chriſtum vt hominem non eſſe filium Dei adoptiuum, quia ſimul cum ſuo cõplemento ſubſtantiali habuit debitum congruitatis ad hæreditatem, quod non habuerunt Angelus, primus homo, vel B. Virgo; & ſoluit argumenta ſuadentia ipſum eſſe filium Dei*

Scotus docet Chriſtũ non eſſe filium Dei adoptiuum.

adoptiuum. Quia tamen obiectionem contrà rationem excludentem à Christo extraneitatem; allatam, non soluit, neque replicam contra solut. ad 3. quæ alteri parti fauet; insinuare videtur Christum dici posse filium Dei adoptiuũ: & ita tenet Baßol. 3. d. 10. q. 1. ar. 2. Tartar. ibi. Leuketus ait eum esse problematicũ. Rhada ib. controu. 5. ar. 2. ait id esse probabile. Pitigianis ait habere Catholicum Sensum. Duran. 3. d. 4. q. 1. absolute ait Christum quâ hominem, esse filium Dei adoptiuum. Richard. ar. 2. q. 1. problematicus est, & Vasq. 3. p. d. 89. ait eum idem cum Durando tenere. Gab. Mayor, & Almani ibi dicunt humanitatem Christi adoptatam.

Multi doctores tenẽt Christum esse filium adoptiuum, sed sane sensu.

Id non contradicit concilio Francford.

Neque hoc hoc est contra Concil. Francford. quia damnauit errorem felicis & Elipandi qui coincidebat cum Nestoriano, vt constat ex ep. Adriani primi, & ex ep. ipsius Concilij, & tenet expresse Anton. 2. p. hist. tit. 14. c. 1. §. 6. Naucle. gen 27. Feuarden. in additionibus ad Castro. contra hæres. V. Christus, Sander. l. 7. Monarch. an. 772. Suar. citans hos, & alios 3. p. tom. 1. d. 49. s. 3. Nestorius autem negabat Christum esse Deum admittens tantum vnionem secundum affectum inter naturam diuinam & humanam. Hunc autem errorem citati Theologi, vt omnes Christiani

stiani abhorrent confitentes Christum esse verum Dei filium naturalem, atque simul Virginis filium. Definitio ergo Concilij Francford. nihil facit contra eos, licet simul dicant eum, quà hominem, dici posse filium Dei adoptiuum. Præterea Iren. lib. 3.c. 21. Marius Victor l. 1. contra Candidum Arrianum tom. 5. Bibl. PP. & Hylar. citatus à D. Thoma 3.p.q. 23.ar.4. tribuunt adoptionem Christo secundum humanitatem. Neque valet si dicàtur quod improprie loquuntur, tum quia sic dici posset de citatis DD. ne opinio censuraretur: tum quia improprie non videntur locuti, 1. quia Christus quà homo non producitur à Deo naturaliter, sed liberè: 2. non producitur actione potentiæ generatiuæ plusquam Spiritus sanctus; 3. non producitur eiusdem naturæ genericæ vel specificæ cum generante: at opposita horum trium conueniunt generationi naturali proprie dictæ; ergo: 4. & patet ex dictis, definitio generationis naturalis, quam omnes admittunt, scilicet, quod sit productio viuentis à viuente in similitudinem naturæ, non conuenit generationi Christi quâ homo respectu Dei. Omnia quæ adducuntur in contrarium probant non esse filium adoptiuum tantum, seu eo modo quo nos sumus; quod de fide est, quia est filius Dei naturalis.

Iren. Hilarius, & alij aiunt Christum secundum humanitatem adoptatum.

Hæc ex ſcholio P. Cauelli: quibus viſis noli de cætero cenſurare, vel reprehendere Scotum hic, cuius mentem non es aſſecutus. Valentiam citas contra hanc ſententiam 3. p. d. 1. q. 23. p. 1. ſed ipſe contra te eſt, & non aduertiſti; ideo ait Chriſtum non eſſe filium Dei adoptiuum, quia connotaretur non eſſe filium Dei naturalem. qui ergo aſſerit & firmiter credit eſſe filium Dei naturalem, minime hoc negat vel connotatiue, licet ſimul aſſerat eum qua hominem eſſe filium Dei adoptiuum.

Optarem plures Scoti opiniones cenſuraſſes, vt occaſionem haberem oſtendendi quàm malè, ne dicam malitiosè, quámque falsò, à te, & tui ſimilibus traducatur; cum tamen eius doctrinam ſine vllo erroris periculo, inoffenſo omnes pede decurrant, quantumuis inuidia renitatur, & remurmuret. In prima tui libelli editione tres Scoti ſententias cenſuraſti; Verùm quàm inſcitè, lector ex dictis intelliget: 2. hac editione, præmiſſa diligenti inquiſitione, & lectione eorum, apud quos aliquid contra eum reperiri poſſe ſperaſti, alias quinque opiniones eius condemnaſti: ſed ineptè, indoctè, & infideliter, vt oſtendi clariſſime. gratum feceris, ſi plures Scoti opiniones 3. tua editione notaueris, vt hac occaſione Scoti doctrina illuſtrior & explicatior fiat.

Eodem cap. addis aperto tumulo Scoti an. 1619. eius oſſa reperta rubicunda: cuius cauſam cum Reuerendiſſimus P. Generalis Conuentualium interrogaret medicum quemdam, is reſpondit ſignum eſſe violentæ mortis, qua dicitur

obiisse Scotus. Et subiungis. *Fuisset honorificentius Scoto, si eius ossa intacta quieuissent. Quid dicis interpres? taces scio.*

Vt ab vltima parte incipiam: ostendit interpres satis solidè c. 10. apologiæ neminem posse sine temeritate ex genere mortis alicuius, minus bene sentire de eius vita: falsum est ergo quod ais aliquid honoris sui Scotum perdidisse (esto tuum istud figmentum admitteremus) etiamsi morte violenta vitam finisset *quia timenti Deum bene erit in extremis, & in die defunctionis benedicetur.* Eccles. 1. Scotum timuisse Deum & fideliter, ei inseruijsse latè probauit interpres in eius vita. Recte Seneca de remedio fortunæ. *Sensus dicit, morieris; ratio respondet, ista est hominis natura, non pœna; ad quod sensus, decollaberis, ratio, quid interest an cæsim moriar, an punctim?* plura de his & exquisita adduxit interpres loco citato.

Non referi quoad Deũ quo genere mortis veniatur ad eum.

Quantum ad id quod fingis medici iudicium de Scoti morte, ex colore ossium: cum liber tuus editus sit Coloniæ, vbi id contigit, vel contigisse fingitur, cur non adducis huius rei testem aliquem? quo iudicio, quo argumento id probas? quod medici nomen? si accusare sufficit, quis innocens erit? tumulus Scoti defossus fuit vt fateris anno 1619. & 15. Ianuar. *idque* (inquit Veglensis in Iouiũ p. 67.) *præsentibus multis tum ex religione, tum ex sæculo honestissimis viris, maxima pietate erga Scotum, &c.* cur ex his quos videre, & alloqui potuisti, nullum nominasti tui figmenti assertorem? si ipse Coloniæ non fuisti, saltem ibi fuit P. Iustinianus lector Theologiæ, cuius notis multum te adiuctum scribis in dedi-

XII.

Figmentum est medicum aliquem ex colore ossiũ Scoti iudicasse eum viuum sepultum.

ſtura: neque dicit eſſe Scoti, neque cenſurat, neque loco à te citato de hac re agit, ſed q. 62. ar. 3. vbi ait Scotum ancipitem eſſe an Angeli creati fuerint in gratia, & idem iudicium eſt de primo homine ex Suar. ſupra. Cenſurat quidem aliam ſententiam non Scoti, ſed tui Paludani: *ex dictis* (inquit) *conſtat, non eſſe tutam poſt Trident ſententiam Palud. 4. d. 24. q. 4. ar. 4. & Marſ. 2. q. 16. a. 6. dicentium Adam ante lapſum, non habuiſſe gratiam.*

Tria errata Bzouiſta.

Recollige te parumper Bzouiſta, & agnoſces in prima tua, inter additas, in Scotum, cenſurâ, tria tibi craſſa excidiſſe errata; primum, quod ſententiam probabilem tot claſſicorum doctorum, à nullo notatam, damnare præſumpſeris: ſecundum, quod eam Scoto falſo attribueris: tertium, qnod à Molina, Scoto tributam, & cenſuratã, mala fide ſcripſeris. Appendix huiuſmodi mẽdacijs referta, mirum eſt ſi impune annalibus eccleſiaſticis annecti permittatur. Sed Bzouianis additur: dignum patella operculum.

Ibidẽ ait Gerſonẽ to. 4. ſec. 1. *Pænitemini* conſid. prima, grauiter reprehẽdere minores, quod omiſſo Bonaueutura Scotum imitentur. *Nec Mirari*, inquit, *ſufficio qualiter patres & fratres Minores, omiſſo tanto doctore (qualẽ neſcio ſi vnquã ſtudiũ Pariſienſe habuit) conuerterint ſe, ad neſcio quos nouellos.* Ne ægrè feras, iudicio Gerſonis, quo nos impetis, D. Bonauenturam D. Thomę prelatum, hîc & epiſt. à te citatâ in additione ad c. 3.

Gerſon. Bonauẽturam omnibus Dd. præfert.

Demus tibi Gerſonem prætuliſſe Bonauenturam Scoto, ideone reprehendendus, & reij-

ciendus Scotus? prætulit eundem D. Thomæ, & omnibus doctoribus, locis citatis, neque ideo tu admittes quicquam honori D. Th. detractũ, sed Gersonem deceptum errasse proclamabis. Ego non sic, sed probabiliter loquutum faterer, si huiusmodi comparationem fecisset. Sed eam, non fecit, neque incidit ei Scoti mentio. Neque inter illos nouellos eum comprehẽdisse potuit. Obijt D. Bon. an. 1274. & Scotus secundum tuum Bzouium, viginti pòst annis, & secundum veritatem, non multum vltra, mors eius dilata est: non potuit igitur cõparatione D. Bonauẽturæ nouellus dici, qui 20. circiter annis eo iunior fuit. De alijs ergo, Scoto recentioribus, forte Occam, Aureolo, Mayronio & formalistis, loqui censendus est Gerson. Tu mi Ianseni qui Scotum inter illos nouellos doctores collocas, in examinandis authorum dictis, nimis es nouellus.

Scotus ad Bonauenturam collatus non est nouellus.

Ibidem *ex Bellar. 3. de Euchar. c. 22. Scotus asseruit ante Lateranen. transubstantiationem non esse dogma fidei, quod est contra Trident. ss. 13. c. 4.* Id habet fateor Bellar. & addit, *ideo eum hoc dixisse, quia non vidit concil. Rom. sub Greg. 7. neque consensum patrum, quem* (inquit) *supra adduximus*: Tridentinum à te adducitur vt Scotum damnes.

VIII.

Respondeo. Scot. 4. d. 13. q. 3. (quem Cameracen. ibidem & omnes Scotistæ sequuntur) tenet quod sacra scriptura euidenter non conuinceret transubstantiationem, nisi adiunctâ Ecclesiæ declaratione; Ecclesiam tamen hoc declarasse spiritus S. instinctu. *Id* (inquit Bellar.)

Non est improbabile quod Sa. Sa. transubstãtiationem

euidenter nō coniuncit, nisi addas Ecclesiæ declarationem.

non est omnino improbabile, quia etsi scriptura quam supra adduximus, nobis videatur ita clara, vt possit cogere non proteruum; tamen an ita sit, merito dubitari potest, cum homines doctissimi, & acutissimi, qualis imprimis Scotus fuit, contrarium sentiant. Hoc tantum asseruit Scotus; & explicat contra D. Thomam, quomodo illa propositio, *hoc est corpus meum*, esset vera etiamsi panis maneret, vel ex intentione proferentis, vel ratione principalis contenti sub speciebus; neque ad veritatem eius requiritur nihil sub speciebus contineri præter Christi corpus. Non dixit Scotus transubstantiationem non fuisse dogma fidei ante Concil. Lateran. & Bellarminus salua pace tanti viri, in eo deceptus est, quod hoc Scoto inaduertenter tribuerit, qui dixit §. *Quantum ergo ad istum*, hoc esse definitum cap. firmiter. de sum. tri. ex Lateran. at non negauit antea fuisse definitum. Quod dicit Bellarminus eum de hoc nō vidisse Patres, nec Concil. Rom. sub. Greg. 7. etiam inaduertenter dictum est, quia adducit Scot. duas authoritates satis expressas Ambrosij, remittitque se ad alias multas quæ habentur de consec. d. 2. & apud magist. d. 10. & 11. quas vidit, & legit; illa autē authoritas Concil. Rom. habetur de consec. d. 2. cap. *Ego Berengarius*; vbi tamen non agitur ex professo de transubstantiatione, seu de panis & vini desitione, sed de vera & reali Christi sub speciebus panis & vini præsentia, quam Berengarius negabat. Si Scotum adijsses hęc videre potuisses, & Scholium eius, quem impugnas, hoc te errore liberasset, si illud inspicere dignatus fuisses. Concilium Triden-

Scotus nihil asseruit de transubstātiatione contra concilia.

tinum à te adductum, nihil contra præmissa habet; tu melius intelligis Ouidium, quàm Concilium, & tamen censorem grauissimorum Theologorum agis, à solo temetipso hac dignitate donatus. Differit quidem concilium, *Quia Christus dixit quod offerebat, esse suum corpus, Ecclesiam persuasam fuisse non mansisse panē.* id est, licet illa verba possent habere alium verum sensum, Ecclesia à Spiritu sancto edocta, hunc elicuit, quem alij assistentiam Spiritus sancti non habentes, possent non elicere. Sic Ecclesia per eandem Spiritus sanctus assistentiam in Trid. ss. 13. c. 7. intellexit illud. *Probet autem seipsum homo, &c.* de probatione per confessionem post mortale; quam tamen non requiri, quia illam assistentiam non habuit, asseruit tuus Caiet. 3. p. q. 80. ar. 4. & in summ. Ver. communio; de quo Suar. 3. to. 3. p. q. 54. 66. Sec. 3. cuius sententiam erroneam asserunt tui patres; Canus relec. de Pænit. p. 5. Catharin. l. 5. contra Caïet. & Sixt. Senensis. l. 6. Biblioth. annot. 261. Suadeo tibi amice ne in Theologicis Magistrum te facias, vel censorem, donec quæ sunt discipuli prius, exactè præstiteris.

Caiet meritò reprehenditur.

Ibidem. *Scotus docet Christum, absolutè potuisse peccare: contra quam sententiam ait Capreol. ex Valent. tom. 4. d. 1. q. 15. p. 2. non argumentis, sed flammis agendum.*

Respondeo. Scot. 3. d. 12. q. vn. ar. 2. docet Christum impeccabilem esse, & idem ait d. 2. q. 1. n. 12. quia Deus de potentia ordinaria non potest, non dare summam charitatem, gratiam, & fruitionem naturæ assumptæ, quibus exclu-

Scotus asseruit christū impecabilē esse.

IX.

ditur omne peccatum. Vides oppositum tui asserti ex diametro, à Scoto doceri; sed docet hanc impeccabilitatem non competere Christo præcise ratione vnionis hypostaticæ; neque Patres vel Concilia loquuntur cum ista præcisione. sequuntur Scotum Bassol. ibid. q. 1. Dur. q. 2. Rubion. q. 1. & 2. Gab. d. 1. q. 2. ar. 2. Marsil. 3. q. 9. ar. 2. Ouando ibid p. 339 Rhada 3. p. centro. 4. [ar 3. Faber 3. d. 17. & omnes Scotistæ. & consentit Henr. quodlib. 6. q. 6. si tuus Capreolus dicat contra hanc sententiam, flammis agendum esse; responsum dedit is quem impugnas, scholio ad locum citatum Scoti; *censuram caprinam nihil faciendam esse.* Valentia quem adducis vt citatorem flammæ Capreoli, non approbat eius flammas. *alia sententia*, inquit, *melior est*. Non ardet immodestæ & inuidiæ flamma.

Christus impeccabilis, sed non ratione vnionis p̃cisè.

Ibidem. *Scoti sententiam negantis lumen gloriæ pro visione beata, Caiet. & alij dicunt esse damnatam in Concil. Vienens. vt citat. Mol 1. p. q. 12. art. 5. d. 1. & Vasq. ibid. dist 42. c. 2.*

Scotus nusquam negauit necessariũ esse lumen gloriæ ad visionem Dei.

Respondeo falsò imponi Scoto quod negauerit lumen gloriæ, vel aliquid illud supplens, ad visionem beatam eliciendam, qui habet in 1. d. 17 q. 3. fi. *Nullus negat communiter habitum luminis gloriæ in intellectu.* & 3. d. 14. q. 2. num. 4. ait *visionem Dei non posse inesse animæ Christi naturaliter vel ex causa naturali.* idem habet 4. d. 49. q. 11. n. 9. & ad. 3. & q. 1. prolog. & 2. d. 3. q. 9. n. 7. & quodlib. 14. quibus locis docet nullũ intellectũ creatũ naturaliter posse videre diuinã essentiã. docet quidem si ponatur intellectum esse tantum passiuum respectu visionis, non esse neces-

ſarium lumen, quia hoc ponitur ad efficiendum, non ad recipiendum; ſed hanc ſententiam non examinat, quam tenet Occam 2. d. 1. q. 2. & 4. q. 15. art. 5. dub. 6. Gab. 3. d. 14 q. 1. Marſil. 3. q. 10. & alij Nominales.

In Concilio Vienenſ. & habet Clem. ad noſt. de hæret. non definitur dari habitum luminis gloriæ, ſed tantum contra Beguardos, & Beguinas viſionem non poſſe elici ex naturalibus, vt fatentur Molina, & Vaſquez à te citati, qui improbant Caietani cenſuram.

In duobus circa hanc cenſuram lapſus es: 1. Scoto falſum impoſuiſti. 2. adduxiſti Molinam, & Vaſq. vt teſtes cenſuræ Caietani, & aliorum (ſupple tuorum) in Scotum, atque vt lectori imponeres, ſubticuiſti quod ipſis iſta cenſura diſplicuerit, quia contra tuos tenent non definiri habitum luminis gloriæ dari, ſed tantum viſionem ex naturalibus non elici: quod docet Scotus, vt iam oſtendi.

Ibid. *Scotus ait Chriſtum eſſe filium Dei, adoptiuum, contra Concil. Francford. & Adrian.* 1.

Reſpondeo tibi ex ſcholio eius, quem impugnas 3. d. 10. q. vn. Scotus docet oppoſitū, ſcilicet *Chriſtum vt hominem non eſſe filium Dei adoptiuum, quia ſimul cum ſuo cōplemento ſubſtantiali habuit debitum congruitatis ad hæreditatem, quod non habuerunt Angelus, primus homo, vel B. Virgo; & ſoluit argumenta ſuadentia ipſum eſſe filium Dei*

Scotus docet Chriſtū non eſſe filium Dei adoptiuum.

adoptiuum. Quia tamen obiectionem contrà rationem excludentem à Christo extraneitatem, allatam, non soluit, neque replicam contra solut. ad 3. quæ alteri parti fauet; insinuare videtur Christum dici posse filium Dei adoptiuũ: & ita tenet Baßol. 3. d. 10. q. 1. ar. 2. Tartar. ibi. Leuketus ait eum esse problematicũ. Rhada ib. controu. 5. ar. 2. ait id esse probabile. Pitigianis ait habere Catholicum Sensum. Duran. 3. d. 4. q. 1. absolute ait Christum quâ hominem, esse filium Dei adoptiuum. Richard. ar. 2. q. 1. problematicus est, & Vasq. 3. p. d. 89. ait eum idem cum Durando tenere. Gab. Mayor, & Almani ibi dicunt humanitatem Christi adoptatam.

Multi doctores tenẽt Christum esse filium adoptiuum, sed sane sensu.

Neque hoc hoc est contra Concil. Francford. quia damnauit errorem felicis & Elipandi qui coincidebat cum Nestoriano, vt constat ex ep. Adriani primi, & ex ep. ipsius Concilij, & tenet expresse Anton. 2. p. hist. tit. 14. c. 1. §. 6. Naucle. gen 27. Feuarden. in additionibus ad Castro. contra hæres. V. Christus, Sander. l. 7. Monarch. an. 772. Suar. citans hos, & alios 3. p. tom. 1. d. 49. s. 3. Nestorius autem negabat Christum esse Deum admittens tantum vnionem secundum affectum inter naturam diuinam & humanam. Hunc autem errorem citati Theologi, vt omnes Christiani

Id non contradicit concilio Francford.

stiani abhorrent confitentes Christum esse verum Dei filium naturalem, atque simul Virginis filium. Definitio ergo Concilij Francford. nihil facit contra eos, licet simul dicant eum, quà hominem, dici posse filium Dei adoptiuum. Præterea Iren. lib. 3. c. 21. Marius Victor l. 1. contra Candidum Arrianum tom. 5. Bibl. PP. & Hylar. citatus à D. Thoma 3. p. q. 23. ar. 4. tribuunt adoptionem Christo secundum humanitatem. Neque valet si dicatur quod improprie loquuntur, tum quia sic dici posset de citatis DD. ne opinio censuraretur: tum quia improprie non videntur locuti, 1. quia Christus quà homo non producitur à Deo naturaliter, sed liberè: 2. non producitur actione potentiæ generatiuæ plusquam Spiritus sanctus; 3. non producitur eiusdem naturæ genericæ vel specificæ cum generante: at opposita horum trium conueniunt generationi naturali proprie dictæ; ergo: 4. & patet ex dictis, definitio generationis naturalis, quam omnes admittunt, scilicet, quod sit productio viuentis à viuente in similitudinem naturæ, non conuenit generationi Christi quâ homo respectu Dei. Omnia quæ adducuntur in contrarium probant non esse filium adoptiuum tantum, seu eo modo quo nos sumus; quod de fide est, quia est filius Dei naturalis.

Iren. Hilarius, & alij aiunt Christum secundum humanitatem adoptatum.

obiisse Scotus. Et subiungis. *Fuisset honorificentius Scoto, si eius ossa intacta quieuissent. Quid dicis interpres? taces scio.*

Vt ab vltima parte incipiam: ostendit interpres satis solidè c. 10. apologiæ neminem posse sine temeritate ex genere mortis alicuius, minus bene sentire de eius vita: falsum est ergo quod ais aliquid honoris sui Scotum perdidisse (esto tuum istud figmentum admitteremus) etiamsi morte violenta vitam finisset *quia timenti Deum bene erit in extremis, & in die defunctionis benedicetur.* Eccles. 1. Scotum timuisse Deum & fideliter, ei inseruijsse latè probauit interpres in eius vita. Recte Seneca de remedio fortunæ. *Sensus dicit, morieris; ratio respondet, ista est hominis natura, non pœna; ad quod sensus, decollaberis, ratio, quid interest an cæsim moriar, an punctim?* plura de his & exquisita adduxit interpres loco citato. *Non refert quoad Deũ quo genere mortis veniatur ad eum.*

Quantum ad id quod fingis medici iudicium de Scoti morte, ex colore ossium: cum liber tuus editus sit Coloniæ, vbi id contigit, vel contigisse fingitur, cur non adducis huius rei testem aliquem? quo iudicio, quo argumento id probas? quod medici nomen? si accusare sufficit, quis innocens erit? tumulus Scoti defossus fuit vt fateris anno 1619. & 15. Ianuar. *idque* (inquit Veglensis in Iouiũ p. 67.) *præsentibus multis tum ex religione, tum ex sæculo honestissimis viris, maxima pietate erga Scotum, &c.* cur ex his quos videre, & alloqui potuisti, nullum nominasti tui figmenti assertorem? si ipse Coloniæ non fuisti saltem ibi fuit P. Iustinianus lector Theologiæ, cuius notis multum te adiuctum scribis in dedi- XII. *Figmentum est medicum aliquem ex colore ossiũ Scoti iudicasse eum viuum sepultum.*

catoria tua ad Illustrissimum nuncium ad tractum Rheni. Finxisses testes, sicut & factum: sed præuidebas te Coloniæ in furto deprehendendum. Artificiose fabulam quam inuidia primò Coloniæ fabricauit, ibidem nouis fabellis augetis, ornatis, & ita fœcundatis, vt ex vna plures appareant genitæ. 1. Sparsum, Scotum ex apoplexia mortuum; dein viuum sepultum, postea caput sibi in sepulchro fregisse, & nugitum dedisse, tandem brachia deuorasse; quibus tu addis de nouo, fabellam præcedentium figmentorum testem, de ossibus Scoti rubicundis, & iudicio medici non veri, seu realis, sed in tui cerebri imaginatione effcti, te firmas. Sed esto tibi hoc ipsum donemus, quis experiundo non didicit medicum istum in hoc deceptum? nonne ossa suspensorum passim sub patibulis videmus albi coloris esse? quis in cæmeterijs discernere queat inter ossa decedentium ex infirmitate, & alio quopiam præoccupatæ mortis euentu emigrantium? certe nullus præter chymæricum medicum, certum hac de re iudicium proferre potest. Quis obsecro medicorum inter chiliades ossium in cœmeterio S. Eustachij Lutetiæ iacentium diiudicare posset quonam mortis genere hic vel ille perierit, ex hoc quod quorumdam ossa nigrũ, alia rubrum, album alia colorem præferant? nescio sane si vir quispiam grauis huius se rei exploratorem exhibere vellet. Ex quo mihi suspectum redditur tuum hac de re commentum, quod omni veritatis apparentia caret. Sed quid hic moror, fuit medicus aliquis, qui hoc de Scoti ossibus iudicium, vel mente tacitus

Artificiosè fabricantur in Scotum fabellæ.

Non potest ex colore ossium mortis modus deprehendi.

protulit; in schola nempe Bzouistæ, *subcripsisse dici potest, qui vel mente tacitus subscripsit.* Vide censuram medicorum de hoc, in fine huius libelli, vbi & imposturam tuam lectores.

In supplemento ad finem sui libelli adiecit de nouo vindex Bzouij Epistolam quandam (vt ipse ait) Eruditissimi D. Laurentij Beirlink Canonici, & Archipresbyteri Antuerpiensis ad se datam, quæ in prima editione ad manum non occurrebat. ex ea quasdam propositiones expendendas subijcio; prius tamen monitum cupio lectorem suppostitiam mihi plane videri epistolam hanc; tum primo quod patentes contineat falsitates, quæ palpari à quolibet possunt; tum etiam quod acrior sit quam P. Cauellus merito à D. Beirlink expectare debuisset, quem ne in minimo vmquam offendisse visus est; tum denique quod Bzouistæ calamum ad omnem imponendi, & falsificandi licentiam, proiectũ, sæpius experiundo didicerim: vnde consequens sit, vt nunc quoque idem ab ipso præstari mihi persuadeam iuxta reg. *qui semel est malus* de reg. iur. 6. Sed pro reuerentia eius cuius nomini adscribitur, & si ipsius non sit, mitiorem accipiet responsionem. Proposuero hic tibi Bzouista tuam inconstantiam, qui hic P. Cauellũ pluries expresseris *cuius tamen nomini superius o. i. parcitum vis.* Nunc ipsam epistolam discutiamus. XIII Epistola Domino Beirlink affecta.

Asserit itaque primò author eius epistolæ Apologiam sine sua censura editam: *Curiosa (ait) indignatione legi apologiam P. Cauelli in qua vester Bzouius aliquantulum vapulat, & duriora flagra excipit, quàm à tàm modesto didascalo, impingi posse existimaueram. Ego in P. Cauello nihil recalcitra-*

tionis vnquam deprahendi, sed prater ingenij subtilitatem, columbinam quoque sine felle simplicitatem, fui amplexus: nec est quod mecum expostulet V. P. *de approbatione apologia pramissa.* Hæc à Domino Beirlink dici aminime potuisse, testis conscientia eius. Apologiam eodem modo quo cætera voluminibus Scoti contenta, ipsi vt recenserentur, à P. Cauello fuisse porrectam, testabitur Dominus Kerbergius Typographus: testabitur & alius omni exceptione maior Reuerendissimus Malderus Episcopus Antuerpiensis, in cuius præsentia res hæc ventilata fuit, & omnes obiectiones contra dictam apologiam discussæ, Patribus Dominicanis omnia mouentibus, vt aliquid contra eam sua Reuerendissima dominatio statueret; vt in præmissa superius, eius epistola est videre, cuius adhuc extat autographum; & eius rei testis locuples, qui epistolam recepit Reuerendissimus Pater frater Andreas A Soto Commissarius generalis, & Sereniss. Infantis Confessarius, omnem hac de re dubitandi occasionem (si eò venire necessum fuerit) tollet è medio. Sed etsi à Domino Beirlink censurata non fuisset, non ideo continuò censenda esset censura caruisse, vt tu velle videris: quia Reuerendissimus Dominus eam tradidit alteri censori reuidendam, & ipse per se examinauit, quæ pars aduersa corrigi in ea rogauit, & nihil in ea immutandum censuit, præter vnū vel alterum verbum, quod pacis causa expungi cupiebat; quod factum non est, quia vos eius sententiæ stare noluistis.

Apologia pro Scoto habuit censuram.

XIV Falsum ergo est, quod asseris Bzouista, apo-

logiam sine censura editam; quia ab eruditissimo Beirlinx & Reuerendissimo Domino approbata est. Sed cum tam rigide censuram apologiæ examinare volueris, & approbationis defectum, falsò nobis improperare, dic quæso, cur tu quæ refutamus hac appendice, conuitia, & commenta sine vlla apposita censura, posthuma hac editione ad calcem tui libelli adiecisti? libellus approbationem habuit à Patre Ioanne Nys confratre tuo Reuerendi Patris Morelles Dominicani Inquisitoris Coloniensis Vicario, anno 1621. datam, & nulla alia censura in postrema editione adiuncta fuit distincta à priori, quæ certe pro illis quæ tu adiecisti non deseruit. Sed vt tuis te dictis amice conciliemus forte præfatus confrater tuus pro suo in Scotum zelo, tacite cogitauit approbare quæcunq; tu in Scotũ inuidiæ liuore percit⁹ effutires. *Subscripsisse enim dici potest* (*inquis c.* 14.) *qui vel mente tacitus subscripsit.* Sed sane non video, si tibi licuisse putas sine vllius expressa censura, aliqua de nouo, tuo libello adijcere, cur P. Cauello improperares, quod Scoti operibus libellum paucorum foliorum præmitteret, qui (proportione vtrimque seruata) minor est, Scoti operibus comparatus, quàm additiones tuæ ad tuum libellum collatæ; cur inquam hoc ausus fuisses, etiamsi P. Cauellus id quoque præstitisset, cum tu in eadem culpa deprehendaris.

Appendix Ianseniȷ videtur sine approbatione prodiȷsse

Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis quæ iudicas. Existimas ô homo qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies

iudicium Dei. Eijce ergo *primo trabem de oculo tuo & postea festucam de oculo fratris tui.* Sed reliqua epistolæ prosequamur.

Epistola. *Interpellatus fui de vita Scoti admittenda, & eadem facilitate parui, fretus & argumẽti indifferẽtia, & illius, qui tractãdum istud susceperat, modestia.*

Fuit apologia simul cum vita Scoti porrecta D. Beirl.

Numquam fuit exhibita vita sine apologia: testis præfatus Typographus, testis, ipsius D. Beirlinx conscientia, qui nunquam hoc negabit: vestri autem, non minus de vita, quam de apologia conqueruntur, quam tamen teipso fatente approbauit Dominus Beitlinx, vobis speciali affectu addictissimus. Mihi constat authorẽ apologiæ, coram domesticis protestatum nihil in ea scripsisse, quod vel post examinatas impugnationes, veritati non iudicauit consonum; falsus tamen est c. 5. vitæ Scoti dum conquereretur de duriori examine Thomistarum in vrbe, contra Scotistas, & Iesuitas, atque congratularetur sibi alijsque Theologis ab vrbe remotis, quod ab iniqua horum Thomistarum ferula essent immunes; vel sua, vel Typographi iniuria ly, horum, omissum esse: quo factum, vt à quibusdam traduceretur, quasi de omnibus Thomistis loqui intenderet: licet enim ex discursu manifeste constet, de præfatis Thomistis tantummodo, fuisse locutum; decuit nihilominus particulam *horum*, fuisse omissam, qua ignaris, & maleuolis, obloquendi occasio fuisset præclusa.

Apologia pro Scoto fuit R. Maldero exhibita.

Non fuit exhibita apologia Reuerendissimo Maldero vel erudito Sessio. Immo Reuerendissimus Dominus Malderus eam vidit, & quæ Patres Dominicani vt acerbiora notarunt, examinauit;

tradiditque alteri nimirum præfato eruditissimo D. Sessio totam iapologiam examinandam, cuius examine de ratione oppositæ partis summa diligentia, peracto, & audito iudicio, Reuerendissimus Malderus censuit nihil esse mutandum in ea, præter vnum vel alterum verbum in eius titulo. Ipsius Reuerendissimi verba libet hic referre. *Ego vt finis imponi negotio possit, audito impressore, curaui per alium censorem,* (eruditissimum Dominum Sessium) *relegi apologiam, qui retulit considerata impetitione tam vehementi contra quam hæc defensio instituitur, non videri aliquid immutandum, &c. & eius iudicio acquieuimus.* Quid clarius? ipse Dominus Reuerendissimus apologiam vidit, & per alium censorem relegi curauit. quid amplius egemus testibus? explodatur ergo tanquam falsa, & à sinceritate Domini Beirlinx prorsus aliena epistola illa, quæ tam aperta mẽdacia loquitur, & contra ipsius Reuerendissimi aperta verba, & contra testimonium conscientiæ D. Beirlinx.

Censura Reuerendissimi D. de apologia Scoti.

Malderus satis ægrè tulit vbi intellexit apologiam istam, citra omnem modestiam acerbe inuehi in Bzouium, imo in ordinem vestrum. Nescio quis spiritus mendax inuasit fictorem huius epistolij, qui tot tamque à vero aliena Reuerendissimo Domino imponere ausus fuerit, *cuius modestia nota est omnibus hominibus.* Certe non dubito ægerrime eum laturum talia commenta. Iam audiuisti eius sententiam rigido examine præuio in fauorem apologiæ latam. Asserere quod approbauerit inuectiuam in Bzouium, & ordinem PP. prædicatorum, insolentia est

Epistola.

adoptiuum. Quia tamen obiectionem contra rationem excludentem à Christo extraneitatem, allatam, non soluit, neque replicam contra solut. ad 3. quæ alteri parti fauet; insinuare videtur Christum dici posse filium Dei adoptiuũ: & ita tenet Baßol. 3. d. 10. q. 1. ar. 2. Tartar. ibi. Leuketus ait eum esse problematicũ. Rhada ib. controu. 5. ar. 2. ait id esse probabile. Pitigianis ait habere Catholicum Sensum. Duran. 3. d. 4. q. 1. absolute ait Christum quâ hominem, esse filium Dei adoptiuum. Richard. ar. 2. q. 1. problematicus est, & Vasq. 3. p. d. 89. ait eum idem cum Durando tenere. Gab. Mayor, & Almani ibi dicunt humanitatem Christi adoptatam.

Multi doctores tenẽt Christum esse filium adoptiuum, sed sane sensu.

Neque hoc hoc est contra Concil. Francford. quia damnauit errorem felicis & Elipandi qui coincidebat cum Nestoriano, vt constat ex ep. Adriani primi, & ex ep. ipsius Concilij, & tenet expresse Anton. 2. p. hist. tit. 14. c. 1. §. 6. Naucle. gen 27. Feuarden. in additionibus ad Castro. contra hæres. V. Christus, Sander. l. 7. Monarch. an. 772. Suar. citans hos, & alios 3. p. tom. 1. d. 49. s. 3. Nestorius autem negabat Christum esse Deum admittens tantum vnionem secundum affectum inter naturam diuinam & humanam. Hunc autem errorem citati Theologi, vt omnes Christiani

Id non contradicit concilio Francford.

ſtiani abhorrent cõfitentes Chriſtum eſſe verum Dei filium naturalem, atque ſimul Virginis filium. Definitio ergo Concilij Francford. nihil facit contra eos, licet ſimul dicant eum, quà hominem, dici poſſe filium Dei adoptiuum. Præterea Iren. lib. 3. c. 21. Marius Victor l. 1. contra Candidum Arrianum tom. 5. Bibl. PP. & Hylar. citatus à D. Thoma 3. p. q. 23. ar. 4. tribuunt adoptionem Christo ſecundum humanitatem. Neque valet ſi dicàtur quod impropriè loquuntur, tum quia ſic dici poſſet de citatis DD. ne opinio cenſuraretur: tum quia impropriè non videntur locuti, 1. quia Chriſtus quà homo non producitur à Deo naturaliter, ſed liberè: 2. non producitur actione potentiæ generatiuæ pluſquam Spiritus ſanctus; 3. non producitur eiuſdem naturæ genericæ vel ſpecificæ cum generante: at oppoſita horum trium conueniunt generationi naturali propriè dictæ; ergo: 4. & patet ex dictis, definitio generationis naturalis, quam omnes admittunt, ſcilicet, quod ſit productio viuentis à viuente in ſimilitudinem naturæ, non conuenit generationi Chriſti quâ homo reſpectu Dei. Omnia quæ adducuntur in contrarium probant non eſſe filium adoptiuum tantum, ſeu eo modo quo nos ſumus; quod de fide eſt, quia eſt filius Dei naturalis.

Iren. Hilarius, & alij aiunt Chriſtum ſecundum humanitatem adoptatum.

obiisse Scotus. Et subiungis. *Fuisset honorificentius Scoto, si eius ossa intacta quieuissent. Quid dicis interpres? taces scio.*

Vt ab vltima parte incipiam: ostendit interpres satis solidè c. 10. apologiæ neminem posse sine temeritate ex genere mortis alicuius, minus bene sentire de eius vita: falsum est ergo quod ais aliquid honoris sui Scotum perdidisse (esto tuum istud figmentum admitteremus) etiamsi morte violenta vitam finisset *quia timenti Deum bene erit in extremis, & in die defunctionis benedicetur.* Ecclesi. 1. Scotum timuisse Deum & fideliter, ei inseruijsse latè probauit interpres in eius vita. Recte Seneca de remedio fortunæ. *Sensus dicit, morieris; ratio respondet, ista est hominis natura, non pœna; ad quod sensus, decollaberis, ratio, quid interest an cæsim moriar, an punctim?* plura de his & exquisita adduxit interpres loco citato. *Non refert quoad Deū quo genere mortis veniatur ad eum.*

Quantum ad id quod fingis medici iudicium de Scoti morte, ex colore ossium: cum liber XII. tuus editus sit Coloniæ, vbi id contigit, vel contigisse fingitur, cur non adducis huius rei testem aliquem? quo iudicio, quo argumento id probas? quod medici nomen? si accusare sufficit, quis innocens erit? tumulus Scoti defossus fuit vt fateris anno 1619. & 15. Ianuar. *idque* (inquit Veglensis in Iouiū p. 67.) *præsentibus multis tum ex religione, tum ex sæculo honestissimis viris, maxima pietate erga Scotum, &c.* cur ex his quos videre, & alloqui potuisti, nullum nominasti tui figmenti assertorem? si ipse Coloniæ non fuisti, saltem ibi fuit P. Iustinianus lector Theologiæ, cuius notis multum te adiuctum scribis in dedi- *Figmentum est medicum aliquem ex colore ossiū Scoti iudicasse eum viuum sepultum.*

catoria tua ad Illustrissimum nuncium ad tractum Rheni. Finxisses testes, sicut & factum: sed præuidebas te Coloniæ in furto deprehendendum. Artificiose fabulam quam inuidia primò Coloniæ fabricauit, ibidem nouis fabellis augetis, ornatis, & ita fœcundatis, vt ex vna plures appareant genitæ. 1. Sparsum, Scotum ex apoplexia mortuum; dein viuum sepultum, postea caput sibi in sepulchro fregisse, & nugitum dedisse, tandem brachia deuorasse; quibus tu addis de nouo, fabellam præcedentium figmentorum testem, de ossibus Scoti rubicundis, & iudicio medici non veri, seu realis, sed in tui cerebri imaginatione effícti, te firmas. Sed esto tibi hoc ipsum donemus, quis experiundo non didicit medicum istum in hoc deceptum? nonne ossa suspensorum passim sub patibulis videmus albi coloris esse? quis in cæmeterijs discernere queat inter ossa decedentium ex infirmitate, & alio quopiam præoccupatæ mortis euentu emigrantium? certe nullus præter chymæricum medicum, certum hac de re iudicium proferre potest. Quis obsecro medicorum inter chiliades ossium in cœmeterio S. Eustachij Lutetiæ iacentium diiudicare posset quonam mortis genere hic vel ille perierit, ex hoc quod quorumdam ossa nigrũ, alia rubrum, album alia colorem præferant? nescio sane si vir quispiam grauis huius se rei exploratorem exhibere vellet. Ex quo mihi suspectum redditur tuum hac de re commentum, quod omni veritatis apparentia caret. Sed quid hic moror, fuit medicus aliquis, qui hoc de Scoti ossibus iudicium, vel mente tacitus

Artificiosè fabricantur in Scotum fabellæ.

Non potest ex colore ossium mortis modus deprehendi.

protulit; in ſchola nempe Bzouiſtæ, *ſubcripſiſſe dici poteſt, qui vel mente tacitus ſubſcripſit.* Vide cenſuram medicorum de hoc, in fine huius libelli, vbi & impoſturam tuam lectores.

In ſupplemento ad finem ſui libelli adiecit de nouo vindex Bzouij Epiſtolam quandam (vt ipſe ait) Eruditiſſimi D. Laurentij Beirlink Canonici, & Archipreſbyteri Antuerpienſis ad ſe datam, quæ in prima editione ad manum non occurrebat. ex ea quaſdam propoſitiones expendendas ſubijcio; prius tamen monitum cupio lectorem ſuppoſititiam mihi plane videri epiſtolam hanc; tum primo quod patentes contineat falſitates, quæ palpari à quolibet poſſunt; tum etiam quod acrior ſit quam P. Cauellus merito à D. Beirlink expectare debuiſſet, quem ne in minimo vmquam offendiſſe viſus eſt; tum denique quod Bzouiſtæ calamum ad omnem imponendi, & falſificandi licentiam, proiectũ, ſæpius experiundo didicerim: vnde conſequens fit, vt nunc quoque idem ab ipſo præſtari mihi perſuadeam iuxta reg. *qui ſemel eſt malus* de reg. iur. 6. Sed pro reuerentia eius cuius nomini adſcribitur, & ſi ipſius non ſit, mitiorem accipiet reſponſionem. Propoſuero hic tibi Bzouiſta tuam inconſtantiam, qui hic P. Cauellũ pluries expreſſeris *cuius tamen nomini ſuperius c. 1. parcitum vis.* Nunc ipſam epiſtolam diſcutiamus.

XIII Epiſtola Domino Beirlink affecta.

Aſſerit itaque primò author eius epiſtolæ Apologiam ſine ſua cenſura editam: *Curioſa* (ait) *indignatione legi apologiam P. Cauelli in qua veſter Bzouius aliquantulum vapulat, & duriora flagra excipit, quàm à tàm modeſto didaſcalo, impingi poſſe exiſtimaueram. Ego in P. Cauello nihil recalcitra-*

tionis vnquam deprehendi, sed præter ingenij subtilitatem, columbinam quoque sine felle simplicitatem, fui amplexus: nec est quod mecum expostulet V. P. *de approbatione apologiæ præmissa.* Hæc à Domino Beirlink dici minime potuisse, testis conscientia eius. Apologiam eodem modo quo cætera voluminibus Scoti contenta, ipsi vt recenserentur, a P. Cauello fuisse porrectam, testabitur Dominus Kerbergius Typographus: testabitur & alius omni exceptione maior Reuerendissimus Malderus Episcopus Antuerpiensis, in cuius præsentia res hæc ventilata fuit, & omnes obiectiones contra dictam apologiam discussæ, Patribus Dominicanis omnia mouentibus, vt aliquid contra eam sua Reuerendissima dominatio statueret; vt in præmissa superius, eius epistola est videre, cuius adhuc extat autographum; & eius rei testis locuples, qui epistolam recepit Reuerendissimus Pater frater Andreas A Soto Commissarius generalis, & Sereniss. Infantis Confessarius, omnem hac de re dubitandi occasionem (si eò venire necessum fuerit) tollet è medio. Sed etsi à Domino Beirlink censurata non fuisset, non ideo continuò censenda esset censura caruisse, vt tu velle videris: quia Reuerendissimus Dominus eam tradidit alteri censori reuidendam, & ipse per se examinauit, quæ pars aduersa corrigi in ea rogauit, & nihil in ea immutandum censuit, præter vnũ vel alterum verbum, quod pacis causa expungi cupiebat; quod factum non est, quia vos eius sententiæ stare noluistis.

Apologia pro Scoto habuit censuram.

XIV Falsum ergo est, quod asseris Bzouista, apo-

logiam sine censura editam ; quia ab eruditissimo Beirlink & Reuerendissimo Domino approbata est. Sed cum tam rigide censuram apologiæ examinare volueris, & approbationis defectum, falsò nobis improperare, dic quæso, cur tu quæ refutamus hac appendice, conuitia, & commenta sine vlla apposita censura, posthuma hac editione ad calcem tui libelli adiecisti? libellus approbationem habuit à Patre Ioanne Nys confratre tuo Reuerendi Patris Morelles Dominicani Inquisitoris Coloniensis Vicario, anno 1621. datam, & nulla alia censura in postrema editione adiuncta fuit distincta à priori, quæ certe pro illis quæ tu adiecisti non deseruit. Sed vt tuis te dictis amice conciliemus forte præfatus confrater tuus pro suo in Scotum zelo, tacite cogitauit approbare quæcunq; tu in Scotũ inuidiæ liuore percit⁹ effutires. *Subscripsisse enim dici potest (inquis c. 14.) qui vel mente tacitus subscripsit.* Sed sane non video, si tibi licuisse putas sine vllius expressa censura, aliqua de nouo, tuo libello adijcere, cur P. Cauello improperares, quod Scoti operibus libellum paucorum foliorum præmitteret, qui (proportione vtrimque seruata) minor est, Scoti operibus comparatus, quàm additiones tuæ ad tuum libellum collatæ; cur inquam hoc ausus fuisses, etiamsi P. Cauellus id quoque præstitisset, cum tu in eadem culpa deprehendaris.

Appendix Ianseniј videtur sine approbatione prodiјsse

Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis quæ iudicas. Existimas ô homo qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies

tradiditque alteri nimirum præfato eruditissimo D. Sessio totam iapologiam examinandam, cuius examine de ratione oppositæ partis sũma diligentia, peracto, & audito iudicio, Reuerendissimus Malderus censuit nihil esse mutandum in ea, præter vnum vel alterum verbum in eius titulo. Ipsius Reuerendissimi verba libet hic referre. *Ego vt finis imponi negotio possit, audito impressore, curaui per alium censorem,* (eruditissimum Dominum Sessium) *relegi apologiam, qui retulit considerata impetitione tam vehementi contra quam hæc defensio instituitur, non videri aliquid immutandum, &c. & eius iudicio acquieuimus.* Quid clarius? ipse Dominus Reuerendissimus apologiam vidit, & per alium censorem relegi curauit. quid amplius egemus testibus? explodatur ergo tanquam falsa, & à sinceritate Domini Beirlinx prorsus aliena epistola illa, quæ tam aperta mẽdacia loquitur, & contra ipsius Reuerendissimi aperta verba, & contra testimonium conscientiæ D. Beirlinx.

Censura Reuerendissimi D. de apologia Scoti.

Malderus satis ægrè tulit vbi intellexit apologiam istam, citra omnem modestiam acerbe inuehi in Bzouium, imo in ordinem vestrum. Nescio quis spiritus mendax inuasit fictorem huius epistolij, qui tot tamque à vero aliena Reuerendissimo Domino imponere ausus fuerit, *cuius modestia nota est omnibus hominibus.* Certe non dubito ægerrime eum laturum talia commenta. Iam audiuisti eius sententiam rigido examine præuio in fauorem apologiæ latam. Asserere quod approbauerit inuectiuam in Bzouium, & ordinem P P. prædicatorum, insolentia est

Epistola.

Malderus tulit sententiã pro Apologia.

Reuerendissimo Maldero, qui omnem abhorret immodestiam, maximè iniuriosa. Prouidit nobis Deus, vt ad manum haberemus, ipsius Reuerendissimi Epistolam, ex qua, omnia hæc mendacia detegeremus. *Cum suggererē*, inquit, *facili negotio omnem acerbitatem tolli, sublatis quibusdam verbis in titulo apologiæ, & in eodem folio, vno aut altero verbo mutato, satisfactionem dedit prædicto P. Boquetio P. Cauellus, permittendo sua sponte pacis causa, illam mutationem à me tantummodo propositam, non autem per modum præcepti, impositam.* Si dictam apologiam, *citra omnem modestiam inuehi in Bzouium, & ordinem prædicatorum*, iudicasset modestissimus, pijssimus, & sapientissimus Antistes, quomodo vno, vel altero verbo mutato, totam acerbitatem iolli potuisse existimauit? quomodo proposuit solummodo, & non potius imposuit illam mutationem? quomodo fatetur P. Cauellum sponte sua nullo impellente, pacis causa in eam consensisse? Si citra omnem modestiam velut inuectiuam, apologiam reperisset integerimus index, citra omnem personarum acceptionem, eam procul dubio condemnasset: neque citra omnem modestiam dici potest, quod cum immodesta scriptione dissimulasset. P. Cauellum quidem (quod pia ipsius humanitas est) amauit, & honorauit pro veteri amicitia, qua eum amplexus est, dum S. Theologiæ professorem ageret, vnde ad episcopatum Antuer-

Louanij.

piensem summa quidem illius Ecclesiæ exultatione, sed graui Theologorum Scholæ dolore, assumptus est. Verum, amicitiæ dare, quod iustitiæ deberetur, iniquum semper æstimauit, & à sua sinceritate alienum.

Quo factum vt ipsius, Malderi, *consilio frons eius*, Apologiæ, *quæ mihi effrons visa est, cum paucis alijs immutaretur.* **Epistola.**

Iam dixi, & euidenter probaui Reuerendissimum D. illam mutationem tantummodo suggessisse, in quam P. Cauellus sua sponte pacis causa consensit; tamen facta non est, vt tu falso asseris; tui enim non contenti amicabili compositione per Reuerendissimū D. proposita, simul agebant coram Illustrissimo D. Nuncio Apostolico nunc S. R. E. Cardinali Sanseuerino, contra dictam apologiam, à quo iniusta petitio nihil impetrare potuit, & Reuerendissimi Domini Malderi satisfactio, contemnentibus eam, iustè denegata est. XVI.

Binos qui lepores vnâ sectabitur hora.

Vno quandoque, quandoque carebit vtroque.

Contigit eis quod Æsopico cani, qui dum partem carnis, quam traijciens fluuium, ore deferebat, dimitteret vt maiorem in vmbra apparentem arriperet, vtramque amisit.

Quod ais ex ficta epistola, frontem apologiæ tibi visam effrontem; forte ideo quia fronte cares; sic stulti & amentes alios tales existimant. Asseruit Bzouius Scotum Christianis dogmatibus illusisse, fidem sacrarum rerum confudisse, immortales lites conseuisse, crimen occultum, vel apertum horrenda morte luisse, viuum se-

Frontem Apologia pro Scoto vocare effrontem granis iniuria.

calumnia Bzouij in Scotum recensentur. pultum fuisse, brachia sibi deuorasse, ingenia Franciscanorum perdidisse, aliaque permulta de quibus supra c. 11. n. 2. adduxit in eum carmina infamia ignoti authoris, quibus de suo addidit mendacia aliquot; item produxit maledicum elogium Iouij prædicatorum assentatoris, approbauitque; nec semel in toto historiæ decursu vllum scriptorem in eius fauorem nominauit. His omnibus debite examinatis, interpres titulum apposuit apologiæ, asperum quidem sed tamen verum, & Bzouianis excessibus debitum: sic se habet.

Apologia pro Ioanne Duns Scoto Doctore Subtili aduersus opprobria, & calumnias, quibus P. Abrahamus Bzouius omnis modestiæ oblitus, eum onerat in suis falsissimis annalibus ad an. 1294.

XVII. Consule benigne lector superius ex Bzouio relata in D. subtilem, & tunc iudicabis an Bzouius omnis modestiæ fuerit oblitus; euidenter enim ostendit interpres capite. 2. 3. 4. 9. & 10. apologiæ illa omnia, opprobria & contumelias esse: asseruitque coram Illustrissimo D. Nuncio Apostolico Bruxellis se paratum esse publicè sustinere talia esse, sub pœna talionis incurrenda, si iudicio Vniuersitatis Louaniensis, in hoc deficeret:

Frons Apologiæ conueniens suis Bzouij excessibus.

paratusque est id ipsum modo sub eadem pœna præstare, quandocumque pars altera periculum facere voluerit. si opprobria, & calumniæ in apologiæ fronte, suo nomine baptizentur, non ideo effrons videri debet; certe effrons videretur censura, non licere calumnias & opprobria vocare, quæ talia esse manifestè constat, quæque literis & quidem contra virum celeberrimum, (qualis fuit doctor subtilis, cos ingeniorum, & lima veritatis) mandata sunt. Publica peccata publice redarguenda sunt: *peccantes coram omnibus argue.* *Ad Timoth. 1.*

Quod vero annales Bzouij falsissimi sint demonstrat late Hervuartus Cancellarius ordinum Bauariæ, vir sane multarum rerum peritissimus, in syllabo quem texuit errorum Bzouij per omnes Prouincias, & Regna Europæ; ideoque in fronte sui operis aptauit eius annalibus epithetum plane appositum, *mendacissimis*, quē tu si propterea effrontem dixeris, procul dubio duriorem tibi exhibebit frontem. si licuit Bzouio calumniantem, & in Scotum iniuste debachantem Iouium sequi, & eius calumnias suæ historiæ inserere; posthabitis tot preclarissimorum virorū de eius integritate testimonijs; cur interpreti non liceat Hervuartum iustū Cæsaris defensorem, contra Bzouium amplecti, pro quo nullum reperit qui opponi Hervuarto posset? cur non liceat frontem partim ex ipso sumere, si Bzouio tot calumniarum capita ex alio haurire, te iudice fas fuit? Vide Bzouista ne effrons censeatur, qui tam effrontem censuram viro eruditissimo, cuius modestia talia dicteria

Bzouij annales, mendacissimos, vocat, & ad vires probat Hervuartus.

obhorret, affinxit.

Epistola. *Nisi dissimulatione uti maluissem, quam rigore, apologiam istam, seu potius libellum famosum, per sententiam Domini nostri officialis, eliminiari è reliquo Scoti corpore procurassem.*

Ex his clare constat epistolam non esse Domini Beirlinx; sciuit enim ipse litem fuisse contra apologiam coram Reuerendissimo Domino motam, & sententiam pro Apologia latam; quomodo ergo asserere potuit oppositam sententiam ipso procurante, per Officialem fuisse ferendam, nisi dissimulatione vteretur? nunquam iudicauit officialem esse supra Episcopum, ita vt hic posset, quod ille approbasset, reprobare. Si vel apparentia tantum, vel vllam habentia speciem veritatis, sub nomine D. Beirlinx, publicasses, toleranda forte fuisset epistola, & pro viri reuerentia ei parcendum, ne quidquam in eam scriberemus; verum tam aliena à vero, & veri vmbra sunt quæ in ea asseruntur, vt non solùm ipsius Domini Beirlinx, sed & cuiusuis vel mediocriter honesti fide, & sinceritate, censeri possit indigna.

XVIII. *Iniuriose vocatur Apologia libellus famosus.* Apologiam vocare libellum famosum, grauis iniuria: paratus est author propuguare omnia quæ scripsit in Bzouium. Nihil habet commune cum libello famoso: detegere & refutare aduersarij conuitia, & calumnias, & latitantes malignos sensus eruere, ac dolos eius ambagesque enodare, quibus Scotum nititur inuoluere, calumnia non est. Augustinus omnes Iuliani errores eloquentiæ fucis obtectos, & sub occidẽtis literæ corticibus latentes, detexit, & palam

exposuit, vt facilius deprehendi falsitas posset, simulato veritatis amictu spoliata: vbi vero deinceps aduersarius asperioribus parcit verbis, parcit & ipse; vbi autem insolescit, eum vt insolentem, &immodestum carpit, ita vt iuxta Iuliani acrimoniam, suum quoque acuat stili rigorem Augustinus. Simili orationis filo procedit Hieronymus contra Ruffinum dum eum interdum durius excipit, quod is in ipsum acriori loquentia vsus esset. Hoc pene modo omnes sancti cum aduersarijs congrediebantur. Horumne tu libros vocabis famosos, & immodestos? quod aduersariorum propalauerint errores, quod eorum dicteria, digna reprehensione propulerint, quod stultesentibus iuxta stultitiam suam, & insolentibus iuxta insolentiã responderint? nemo profecto id sanæ mentis asserere auderet. Calumniam ergo fateri necesse est, vocare Apologiam libellum famosum, cum author in ea sanctorum sit secutus exemplum. Immò ostendit interpres parum aut nihil distare à libello famoso, infamia carmina authoris anonymi nouis, & mendacissimis additamentis aucta, contra, Scotum, annalibus Ecclesiasticis (qui nihil non sanctum, non sincerum, non probatum continere debent) inserere. Ostende tu si potes, horum publicationem speciem habere libelli famosi. Bzouius conuitia scripsit, Cauellus ea tantum detexit. lectoris esto iudicium vter eorum author libelli famosi sit censendus.

Aug. iuxta aduersarÿ asperitatem, suum stylum acuit.

Elogiũ Bzouÿ in Scotũ libelli famosi speciem habet.

Quid vero vel quantum deliquerit Bzouius non examinaui; neque id mihi tanti visum, vt bonas horas illo otio transigam.

Epist.

XIX. Hæc tam iniqua iudicij norma, ab eius, cui hæc adscribitur Epistola, æquitate, aliena plane est; neque enim vir grauis, & prudens (qui alias semper audita prius vtriusque partis causa iudicium ferre solet) non expensis Bzouij in Scotum pronunciatis, condemnasset eius condemnatorem. Quare qui frontem Apologiæ effrontem iudicat, nec tamen quid Bzouius deliquerit examinauit temerarium se, & parum æquum iudicem ostendit. vnde videas Bzouista quanta iniuria Dominum Beirlinx affeceris, qui eius nomini tam infamem Epistolam affinxeris. scio ipsum pro suo honore, & authoritate vehementer commotum iri. Hæc nimirum gratia, quam refertis ipsi pro suo in vos, ordinemque vestrum affectu, & beneuolentia.

Iniquus iudicandi modus, non auditis partibus ferre sententiam.

Epistola. *Quæ porro P. Cauellus de immaculata conceptione adiunxit, ea sunt, quæ passim pro sententiæ nouitiæ, & magis piæ (an etiam magis veræ, sacræ scripturæ, patribusque ac rationi consentaneæ, definire nefas) firmitate, ab alijs adducũtur; verum meam hac in parte sententiam non expugnant, nisi id faceret authoritas Ecclesiæ, cuius filium profitear.*

Hic in caput tuum grande, & terribile fulmen conuertisse videris. Paul. 5. 12. Septemb. an. 1617. *Quia ex occasione affirmatiuæ* (verba sunt bullæ) *quod B. Virgo fuerit in originali concepta, oriuntur in populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia &*

Bulla Pauli 5. pro immaculata conceptione: silẽtiũ imponens eius aduersarijs.

gia, & dißentiones, præcepit strictè omnibus, & singulis, cuiuscumque sint status, &c. Vt non audeant publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscunque actibus publicis aßerere quod B. Virgo fuerit concepta in originali: contra facientes autem declarauit subiacere censuris, pœnis in supradictis constitutionibus suorum prædecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. Censura autem contenta in dictis constitutionibus Six. 4. extrau. graue nimis, & Pij 5. & Concilij Tridentini, est excommunicationis latæ sententiæ, & maledictionis æternæ pœna.

XX

Videtur Iansenius incidiße in excommun. propter hæc quæ de immaculata conceptione hic habes.

In has pœnas Bzouista manifeste incidisse videris; Etsi enim in terminis formalibus non dicas Virginem in peccato conceptam; æquiualenter, & circumlocutione, actuque maxime publico id asseris, dum scribis, etsi ex alio, sententiam liberantem Virginem à peccato, *eße nouitiam: & an magis vera sit, Scripturæ, Patribusque ac rationi magis consentanea, definire nefas esse*; quia nō solū hanc sententiam falsum, sed etiam nouitatis nota expressa, inuris, & Scripturæ, Patribus, ac rationi dissentaneam virtualiter affirmas. nullus certe mortalium dubitare potest, quin actu publico prædictis verbis contento, asserere volueris B. Virginem in peccato conceptam. Neque refert an directè, vel indirecte terminis expressis, vel æquiualentibus id asserueris, vt in præfatas pœnas incidisse conuincaris; qui enim publica concione, vel lectione, aliorum dicta contra immaculatam Conceptionem adduce-

ret verbi gratia multa ex ijs Sanctorum & Doctorum locis quæ mala fide collegit Bandelus, nec ea reijceret vel refutaret, esto de his suo nomine nihil assereret, luce meridiana clarius est quod in præfatam Bullam peccaret, eiusque pœnas incurreret; alioquin possent omnes aduersarij immaculatæ Conceptionis quæcunque ante bullam contra eam afferebant, modo afferre, eamque publicis concionibus, lectionibus, &c. impugnare, hoc solum dempto, quod in terminis non asserent B. Virginem in peccato Conceptam: quo euidenter illuderent Bullæ, eamque omnino frustraneam redderent, & consequenter pœnis, in legum transgressores statutis, sese obnoxios & plectendos: pari etenim pœna dignus est qui legis tantùm sententiam seu sensum violat, saluâ qualitercunque verborum apparentia, ac qui vtrumque simul indissimulanter transgreditur, ex c. de legib. l. non dub. ff. de legib. contra legem. & l. fraus. sicut & è conuerso facere secundum verba legis & secundum sententiam, & secundum sententiam tantùm, verbis non seruatis, paria sunt, ff. de verb. significat. l. nomtnis. §. verbum. & meritò quidem, cum legislatores sensum, non verba spectent ff. de cond & demonst. l. pater in prin. §. conditionem verba & l. in conditionibus &c. Tu igitur Bzouista, qui Pontificia lege præscriptum tibi silentium, publico boatu præuaricasti, inoffenso vt tibi forte videtur, verborum eius tenore, pœnam suis præuaricatoribus destinatam nonpoteris euitare, stante regula iuris 88. in 6. vbi, *certum est quod is committit in legem*

Legis intentionem trãsgrediens, seruatis tãtùm verbis, puniri debet

qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

Neque euadere poteris dicendo impressionem tui libri non esse actum publicum; cum ars Typographica nil nisi tuba quædam sit (vt bene eruditiss. Lipsius ep. ad Sen. Francofurt.) quæ insonat & inflat quæ lubet in Europæ totius aures. Publicatio igitur huiusmodi, omnium maxima est & perpetua, ac proinde intentioni Pontificis maximè contraria. Edidit quidam author magnæ eruditionis in Belgio commentarios in 3. p. D. Thomæ, deditque in lucem ann. 1618. & quia q. 27 art. 2. inclinauit in partem illam quæ Virginem in peccato Conceptam asseuerat, postquàm emanasset præfata Bulla; Bruxellam vocatus coram Illustrissimo Domino Nuncio Apostolico causam dicere coactus est; sed ob reuerentiam viri aliaque eius merita, mitius cum eo actum est, mandato tantummodo imposito vt se quàmprimum retractaret, & dimissus est; quod & fecit 2. editione hoc anno 1622. apud Marcum Vvion; vt videre est d. q. 27. ar. 2. Occasione huius difficultatis dictus Illustrissimus D. mandato ad id ex Vrbe accepto, præcepit Reuerendissimo Domino Maldero Episcopo Antuerpiensi, & alijs, inuigilarent, ne quid ederetur quouis modo in præiudicium immaculatæ Conceptionis, quia id sub præfatis pœnis vetuit Paul 5. in præfata Bulla.

Impressio lib. est actus maxime publicus.

Quidam Theologus iussus reuocare quæ scripsit de immacul. conceptionè

XXI

Oratio qua aliquid de Concept. sinistrè continebat combusta.

Hoc eodem anno, edita est oratio quædam habita in cœnobio PP. Prædicatorum Bruxellis in festo S. Thomæ, & quia indirectè per circumlocutiones nonnulla habuit, quæ censeri pote-

rant in præiudicium Virginis dicta, non prius in lucē data, quàm eius vsurâ priuata est, flammis vltricibus ex mandato Illustrimi Domini Nuncij sublata. Tua culpa eadem est, quidni pari quoque pœna plecterere? nam iuxta mensuram delicti, debet & esse plagarum modus. Caue itaque, ne tuus inglorius libellus, & V. gloriosæ parùm propitius, eam quam promeretur ignominiæ notam, & flammæ lucem inueniat. Author illius epistolæ (si forte sit quispiam à te distinctus) censuris istis non censetur obnoxius, quia priuata eiusmodi scriptio actus publicus non est; accedente tamen impressione, publicus fit, & pœnis suppradictis subiectus His tamen non obstantibus excusare non ausim eius epistolæ authorem, quod sententiam tam piam & vnanimi totius Ecclesiæ consensu receptam ac anniuersaria festi veneratione Spiritus sancti instinctu donatam & à tempore Apostolorum in Ecclesia edoctam (vt post alios, ostendit author apologiæ in suo Rosario) vocet nouitiam, scripturę patrib⁹, ac rationi minus consentaneam, vel saltem, nefas esse hoc definire. Concilium Basiliense ss. 36. *Diligenter perspectis authoritatibus, & rationibus &c. B. Virginem immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa, tanquam piam sententiam, & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ tenendam, & amplectendam definimus, declaramus; nullique de cætero licitum sit in contrarium prædicare, vel docere.*

Concilium Basil. defin. sententiam de immac. Concept. magis conformem esse sacræ scripturæ contra Brouißam.

De hoc non eſt mei inſtituti agere. Legat qui voluerit P. Ægidium Auguſtinianũm, & P. Salazarum ſocietatis Ieſu, qui omnium nouiſſime, & copioſiſſime de Conceptione ſcripſerunt, apud quos hæc propoſitio duriorem ſubit cenſuram. [redacted]

XXII

[redacted]ci tamen poteſt quod epiſtolæ ſcriptor incidi[redacted]et in eaſdem pœnas per Bullam Greg. 15. 2. Ian. huius anni 1622. datam, qua ſub illis pœnis præcipit, *omnibus, & ſingulis ne de cætero etiam ſermonibus, & ſcriptis priuatis audeant aſſerere, quod B. V. fuerit Concepta in peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua vllo modo agere ſeu tractare. &c.* niſi epiſtola hæc prior data fuiſſet (ſi Bzouiſtæ crederemus) quàm Bulla iſta emanaſſet. Sed tu mi Bzouiſta, nunquid his vinculis irretiris? ego vero id luculenter oſtendam. imprimis tuus libellus editus eſt, hoc anno 1622. Coloniæ apud Antonium Bolzenum, & velut appendix annexus tomo 3. annalium Bzouij. nunc reſtat inquirendum ſi ante vel poſt datam Bullam, tomus iſte prodierit? videtur ſane vero ſimilius, cum adhuc ſub decurſu Nouembris tomus iſte Luteciam non venerit, ante datæ illius Bullæ diem Iunij 2. non fuiſſe editum; me maxime mouet ad id credendum diligentia Typographorum Pariſienſium, qui ſtatim ac libri alicuius æſtimationis Colonię lucem adſpiciunt, illos ſumma ſedulitate Pariſios aduehunt. Neque laborem hunc iſti

Bulla Greg. 15. imponit omnimodũ ſilentiũ aduerſarÿs.

tomo, (à multis ad complementum historiæ desiderato) aduehendo denegassent; porro sex iam menses, vel eo amplius fluxerunt, quod prodijt Bulla ista, Si autem tomus iste impressus est ante hæc tempora. mirum certe videtur, quod tanto temporis interuallo Patribus non sit delatus. Hæc tamen te mihi suspectum reddunt, & librum illum donec expurgetur prohibendum ostendunt. Quod si te ab hac Greg. Bulla censeri cupis immunem, & authorem epistolæ vis pariter liberare, ostende ante Iunium, tomum istum fuisse prælo mandatum: quod si præstiteris tantummodo Pauli 5. censuris manebis obstrictus. Consultius egisset epistolę author si cauto silentio sibimetipsi pariter, & tibi, prospiciens, hoc præcipitium declinasset.

Epistola. XXIII

Optandum vt religiosi charitatis vinculo existerent colligati, potius quàm in se mutuò scribendo insurgerent, & veritatē nude absque stomacho & maledictis assererent. Quod vt per R. T. fiat si aliquando quid meditetur aduersus hanc apologiam, opto ex animo. Vale.

Hanc clausulam mente, & calamo D. Beirlinx dignam iudicarem, nisi pręcedentia ipsius genio repugnassent. Censura grauissima, simul & monitio pijssima. Vtinam Bzouista *cor boni consilij statueret secum*. Non sic, non sic, vir absque prudentia consilium abiecit retrorsum, & iniquitatem meditatus in cubili suo, ad increpandum verba composuit, & subuertere nisus est amicum suum fratrem nostrun, & matri eius non pepercit; frons mulieris meretricis facta

Eccles. 37

Pia monitio Epist. à Bzouista neglecta.

Iob. 6.

est ei, & noluit erubescere. Sed comedet fructus
viæ suę, suisque consilijs saturabitur. Experie- *Hier. 3.*
tur etenim hoc respōso quod qui in altum mit-
tit lapidem, super caput eius cadet. Et plaga do-
losi diuidet vulnera; & qui statuit lapidem proxi-
mo suo offendet in eo; facienti denique ne-
quissimū cōciliū (cōciliādi, & maledicēdi) super
eum deuoluetur. Si salutare epistolæ, cuiuscū- *Eccl. 27.*
que fit, cōciliū cōputasset in suū cōmodum no-
stramque quietem, obseruaret illud, *fili sine con-* *Eccl. 32.*
silio nihil facias, & post factum non pœnitebis. Sine
consilio immo contra consilium fecit: pœniteat;
iustam certe habet pœnitentiæ materiam, qui
Deum & proximum suo libello grauiter offen-
dit. Stimulum spero, addent contenta hoc li-
bello quibus veluti in speculo, ad oculum, cer-
net sua conuitia, errores, malesanas proposi-
tiones, & imposturas detecta, & refutata. Per
hæc peccauit, per hæc & torquebitur in ipsum
retorta: publico scripto peccauit, publice re-
darguitur iuxta illud. *Peccantes coram omnibus ar-* *1. Tim. 5*
gue vt cæteri timorem habeant.

FINIS

SVPPLEMENTVM.

Quædam ex negligentia prætermißa suis locis restituantur vt sequitur.

Pag. 18. ante §. *Arbitror.*

EX Catholicis satis, superque probatum est D. Thomam Alexandri Alensis fuisse discipulum: accipe nunc è castris hetherodoxorum, sequens testimonium Ioannis Balei Pseudoepiscopi Ossoriensis cent. 3. p. 299. *Thomæ Aquinati, Bonauenturæ, & Gulielmo Varroni in Theologia præceptor accitus* (Alēsis) *miris subtilitatibus pro constabiliendo Papæ regno* (*ille blasphemè Antichristum vocat*) *ipsos armauit.*

Pag. 90. ante §. *Has luculentas.*

His adde ex infinitis Reuerendi admodum Domini Antonij Yepes, Abbatis celeberrimi Monasterij Vallisoletani de Hibernia elogijs, hæc paucula. ad an. 557. tom. 1.

Et quia locus, & tempus fauent, nauigare cupio in insulam illam, in qua mirabiles cernemus successus, dignosque quibus Dominus noster laudetur, cum in insula non ex maioribus Europæ, tanta fecerit magnalia vt sola illa, aliarum multarum prouinciarum, & regnorum mirabilia excedat. Hibernia insula est prope Angliam, non æque magna, sed in salubritate aeris marina ex aura, causata, fertilitate terræ, commoditate fluuiorum portuumque capacitate, necnon pecorum numerosa multitudine, ei minime inferior; & quantum ad viros insignes, &

illustres ordinis S. Benedicti nescio, an Francia, Italia, Germania, singula habeant, quo magis glorientur, quam parua Hibernia insula. Circa hæc tempora iacta sunt fundamenta vnius ex maioribus monasteriis ordinis. S. Bendicti, & non solum ex maioribus, imo omnium, quotquot in Europa fundata sunt, maximi. vocatur autem Bencor. &c. Et infra. *Vnde augetur admiratio, quod vna insula inter mediocres occidentis, quæ à longe non accedit ad cæteras maiores terræ continentis prouincias, in hac parte* (quantū ad viros sanctitate illustres) *eas tam notis post se reliquerit excessibus.* Et paulo inferius.

Filij huius almæ domus (Bencorensis monasterij) *materiam ministrabunt hanc historiam lecturis, laudandi altissimum, eique immensas gratias agendi, quod de vno terræ angulo, tot micantia eduxerit sidera, quæ sanctam illuminassent Ecclesiam. Totum autem redundat in gloriam primi parentis, & magistri S. Congelli, viri sanctitate, & doctrina illustris, quas ipse suis discipulis communicauit: Alumni enim huius domus, per omnem terram, miraculosum effundebant virtutum odorem; & qui inde ad prædicandum Euangeliū prodierūt (prodierunt quamplurimi) prouincias & regna, sua sacra doctrina nobilitarunt.* Ibidē aliquid dicit de quodam monasterio in Anglia, dicto Bancor, monens lectorem, ne ob similitudinem nominis, dubitet præfata Dei magnalia, Benchorensi Hiberniæ monasterio conuenire; ostendēs nullo modo Banchorensi in Anglia cōuenire posse & alibi. *In Hibernia vt visum est innumerus degebat monachorum numerus, & monasteria,* Tom. 2. ann. 611.

omnium quotquot in Europa cognita sunt, maxima: habuit per hæc tempora tantam virorum illustrium copiam, vt sibi multis retentis, vicinis nationibus abunde prouidere potuerit. Innumerabiles enim monachi, (vt retroactis annis notatum est) ex hac insula egreßi sunt ad prædicandum in Scotiam & Franciam. Iam breui videbimus, qualiter venerint in Frisiam, Belgium & Germaniam, & quam magna ibidem Ecclesiæ sanctæ, obsequia præstiterint. Hæc fideliter ex Hispanico idiomate reddidi, in quo Yepes suam historiam conscripsit. Ipse natus sum, in illo Vltoniæ tractu, in quo dictum monasterium situnt est. Nonnulla adhuc extant eius ædificia, muri amplissimi ex albo lapide, ambitus varij, & ruinæ permagnæ omnia præseferunt amplitudinis antiquæ specimen. Vidi locum sanctum, sed proh dolor!

Tren. 1. *non habentem speciem neque decorem: lapides sanctuarij dispersi* erant *in capite omnium Platearum;*

Tren. 2. *luxitque ante murale, & murus pariter dißipatus est, Vidi ciuitatem sanctam, & fleui super*

Tren 1. *eam, quia & lachymæ eius in mexillis eius: mnum*

suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, &

Tren. c. 1. *gentes ingressæ sunt, de quibus praceperat Domi-*

Tren. 1. *nus ne intrarent Ecclesiam suam.* Eheu. *Deus meus venerunt gentes Hetherodoxæ in hanc hære-*

Psalm. 78. *ditatem tuam, & polluerunt templum sanctum tuum, & posuerunt hanc Ierusalem in pomorum custodiam. Sed tu, Domine, qui dispersiones Israelis, congregabis, & ruinas eius restaurabis, respice, & visita vineam istam, quam plantauit dextera tua.* Eheu *exterminauit eam aper de sylua, &*

Psalm. 79. *singularis ferus depastus est eam. Exurge Deus,*

& exaltetur manus tua ne obliuiscaris pauperum tuorum, Congelli, Iuani Columbæ, Columbani Kiliani, & aliorum Sanctorum millium, qui in hoc sanctuario tibi fideliter ministrarunt, & in exteras nationes Sanctorum examina miserũt. Sed per eorum merita locum sanctum, totamque insulam, pristinæ sanctitati restitue. Iũge tibi Deus meus per hoc magnum, quod in dies præstolamur & omnes pij eo fine exoptant, Catholico, vel Christianissimo coniugio, quos à te peccati separauit diuortium. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis nostræ; reduc filios dispersionis in terram suam: Sat diu cantauimus canticum Domini in terra aliena, sat super flumina Babylonis fleuimus, & sedimus, cum recordaremur nostræ Sion. Verifica nũc Deus meus super nos Propheticũ illud. *Ecce ego cõgregabo reliquias gregis mei de omnibus terris ad quas eieceram eos, & conuertam eos ad rura sua, & crescent, & multiplicabuntur, & suscitabo super eos pastores, & pascent eos.* Et da mihi misello tuo, vt quæ cum dolore prophanata vidi, cum lætitia restaurata videre merear.

Psalm. 139.

Ierem. 23.

Pag. 207. *ante* §. *Testetur.*

Sed vt concludam: Ecce tibi produco, qui testimonium mihi perhibet ignorantiæ tuæ, produco inquam S. Bernardum, & quidem de illo Hiberno loquentem, (quem certè furti accusare nihil minus in animo habuit) qui eadem, qua interpres de pio furto, phrasi vtitur, exponens pietatem sancti iuuenis Malachiæ, & orationis feruorem *est vicus prope ciuitatem, in quo discebat puer, quo magister eius frequenter per-*

in vita S. Malah.

gere solitus erat: ipso solo comite. Illo euntibus ambobus pariter, ipse (vt postea referebat) retrahebat pedem; sistebat gradum: & stans à tergo magistri, illo quidem non comperiente, expansis ad cælum manibus, raptim quodammodo, ac veluti iaculatam emittebat orationem, & sic dissimulans, magistrum denuò sequebatur. Istiusmodi pio furto puer sæpius eludebat comitem, pariter, & magistrum, &c. I. nunc Ianseni, & S. Bernardum impietatis accusa, quod S. Malachiam furem appellet. At fur non est, qui pie furatus est. Tuam potuis fatere ignorantiam.

Pag. 242. ante §. Bzou. c. 3. *legatur Gerson.*

Bzouista *Scotus certe Coloniæ, sui tantum conuentus lector particularis esse potuit.* Hic maleuolentiam simul, & crassam prodis ignorantiam. Nonne eodem capite, asseris longe post Scoti tempora, scholam Coloniensem erectam? Vbi ergo legeret Scotus nisi in suo conuentu? an in campis, vel siluis? ita optares ne tot Discipulos suæ doctrinæ sectatores relinqueret. Reliquit tamen frendente licet inuidia, æternum permansuros. Sed dic quæso vbi Coloniæ docuit D. Thomas? vbi tuus Albertus? nonne in suo Conuentu, in quo videre est adhuc cathedram ex qua docuit D. Thomas? nonne etiam Parisijs intra suum Conuentum docuit D. Thomas? Cur ergo soli improperas Scoto, quod ipsi cum D. Thoma est commune? Vides quomodo inordinatus affectus tuus excæcauit intellectum? deposita igitur ignorantia acquiesce veritati, & scias Scoti tempore publicos Th. profess. in suis Conuen-

tibus, vel Collegijs docere ſolitos, quia Scholæ communes pro omnibus Theologiæ Profeſſoribus tunc rariſſimæ erant, vel nullæ: lectiones tamen in Conuentibus habitæ, non erant particulares, vt tua vult maleuolentia, ſed generales, pro omnibus audire volentibus apertæ. In celeberrima vniuerſitate Salmantina primæ duæ Cathedræ Theologiæ in Conuentibus Minorum, & Prædicatorum erectæ ſunt. Audi tuum Bannes 2. 2. q. 1. ar. 7. an. 1416. *In publicis Scholis Salmanticenſibus nondum erant pro Sacræ Theologiæ Profeſſoribus ſtipendia publica deſignata donec ſummus Pont. Bened. 13. primus inſtituit Theologiæ Cathedras, & iuſſit, vt præter 25 Cathedras, quas hodie in hac vniuerſitate, appellamus de proprietate, eſſent aliæ duæ; altera, quæ D. Thomæ diceretur & in Conuentu S. Stephani, per Fratres Prædicatores legeretur, altera Scoti, legenda per Fratres minores in Conuentu S. Franciſci.* Longe poſt fundata eſt vniuerſitas Complutēſis, inter omnes Hiſpaniarum poſt Salmantinam, celeberrima, per F. Franciſcum Gimenes S. R. E. Cardinalem, Archiepiſcopum Toletanum, ex Ordine Minorum aſſumptum, in qua primam Theologiæ Cathedram, pro Scoti doctrina deſtinauit. In Pariſina, vniuerſitatum matre, etſi antiquiſſima ſit, ſtipendia tamen publica inſtituta eſſe pro lectionibus theologiæ, vno, & publico communique loco, à varijs profeſſoribus edocendis, in ea; non adeo eſt antiquum. His perpenſis deſine maleuole Scoto improperare, quod Lector ſui tantum Conuentus eſſe potuerit; quod ego de D. Thoma

& alijs Professoribus pari ratione possum affirmare, & tu si Scoto aliquid per hoc detrahere voluisti, scias te non plus ipsi, quam D. Thomæ, (etsi præter intentionem) derogasse.

Ad pag. 261. vbi huc te remisi; adijcio sequentem insignium Medicorum censuram, pro confutatione illius maleuoli figmenti de rubicundo colore ossium Scoti & iudicij fictitij medici, verius, inuidiæ, id violentæ morti ascribentis.

Quæritur an arte medica ex rubicundo colore ossium alicuius, à trecentis & amplius annis defuncti; colligi possit, quo mortis genere obierit, & maxime an strangulatus, suffocatus, suspēsus, vel alia violētæ mortis specie interierit? Respondent sequentes medici talem collectionem irrationabilem esse & mere fictitiam.

Doctor Duarte Vaez medicus Regis Hispaniæ.

Paulus Emilius Ferrillus Regis & Reginæ Christianiss. Medicus cubicularius.

Dionysius Guerin Doctor Medicus Parisiensis.

Guaspard Brayer Medicus Regius; & Sereniss. Comitis Suessionensis, ordinarius.

D. Geruasius, Doctor Medicus Paris.

Mag. A. de Corbise Regius Chirurgus.

Habeo penes me horum subscriptiones, & super hac re discursus, ex quibus breuitatis causa paucula tantum excerpo.

D. Duarte, fatetur, forte (& si id rarissime contingat) vehementi motu violentæ mortis, vt ex collisione, aut contusione, sanguinem è

venis retro expulsum, ossa tingere potuisse; eam tamen tincturam paruo tantum tempore durare potuisse. Itaque colorem illum rubeum ossium, tribuit alterationi corruptiuæ, cum nō sit ossibus naturalis; addens se plura uidisse defunctorum ossa eiusdem coloris: quia tamen id commune non est, si de viri pietate conspicuī, ossibus; quæstio esset, non abs re videretur (inquit) talis color miraculo ascribendus, quia vt miraculosum refertur in vita S. Cataldi, Tarentinorum Apostoli, *sacras eius reliquias, transactis aliquot sæculis rubicundas*, fuisse repertas. Et concludit. *Ab omni ratione alienum esse, affirmare rubeum colorem ossium, post tantum temporis signum esse violentæ mortis.*

D. Emylius iudicat dictum colorem prouenisse, à proprietate indiuidui, vel terræ in qua humatus fuit defunctus, & nullomodo esse violentæ mortis signum.

D. Guerin, vocat illam collectionem, *insulsa commenta, & febricitantium somnia*. Pro cuius confirmatione, inter alia adducit, *pleraque ossa compacta & soluta quæ in chirurgorum offìcinis extant, eorum esse qui laqueo vitam finiuerunt, albissima tamen esse.* Et post. *Ne longius exempla accersamus ossa illa quæ velut agminatim, densa visuntur in celebri SS. Innocentium cæmeterio Parisiis, quorum in numero, pleraque ante sexcentos annos inhumata, comperiuntur ruffa, alia rubentia, non pauca nigricantia; nihil tamen argumenti, quo species mortis deprehendatur, præ se ferentia.* Rubeum illum colorem, in casu nostro, corruptioni à contiguo corpore causatæ ascribendum

putat, vel potius cui aſcribatur incertum relinquit, quia nihil in rerum natura colore mutabilius. Vnde *Plato* (inquit) *in Timæo de elementorum mixtione, ex qua colores oriuntur*, *ſcribit: quo autem menſura modo, ſingula ſingulis miſceantur, etiam ſi quis nouerit, narrare prudentis non eſt: præſertim, cum neque neceſſariam, neque verisſimilem de his rationem afferre, vllomodo poſſit.* Hæc ille:

D. Brayer addit violentam mortem ex oſſibus, niſi ſint confracta, vel contuſa, nullo modo deprehendi poſſe.

D. Geruaſius illam coniecturam ineptam ait, & ab omni ratione prorſus alienam.

D. de Corbyſe colorem illum cauſæ ſupernaturali tribuit.

Habes Bzouiſta ſex inſignium medicorum (D. de Curbyſe mihi medicus eſt) contra tuũ infame figmentum, cenſuram; haberes & aliorú ſexaginta, niſi horum ſatis ſuperque eſſet. Si medicus ille tuus Colonienſis, aliud voluit, audeo dicere non fuiſſe medicum realem, ſed in eſſe diminuto, nempe in eſſe volito, vel phantaſiato tui liuoris, tibi ſufficit (vt ſæpius notauimus) ſi quis mente aliquid factum, voluit, vt factum dicatur. Colonia certe tuum medicum nunquam promouit; inuidia promouiſſe potuit.

INDEX RERVM CONtentarum in hoc libello.

A

ALIQVOT CONVITIA, calumniæ, iniuriæ, imposturæ, temeritates, & falsitates ex multis, quibus liber Iansenij scatet.

Vocat P. Cauellum caballum. iniuria pag. 8.

Obruit P. Cauellus contumelia D. Thomam & ordinem Præd. calumnia. p. 12.

Scotistæ vt certum arripiunt quod aliquis vel leuiter dixit p. 14. conuitium.

D. Thomæ contradicere est contra Ecclesiæ sensum. temer. p. 20.

D. Thomas fuit victor etiam in quæstione de immaculat. concept. impost. p. 22.

Apologia pro Scoto fuit prohibita. calumnia. p. 25. & 100.

Non sequentes D. Thomam, malignitas agit. iniur. temer. p. 25.

Caietanus Scotomastix est. iniur. p. 30.

Obscuritates esse errores. temeritas. p. 55. 73.

Subscripsisse dici potest, qui mente subscripsit. temer. p. 70.

P. Cauellus indigitatur pharisæus, comparatur Leoni, & asino. iniur. p. 76.

Innititur amorem Christianæ pietatis, quo flagrant religionem ingredientes quandoque esse insanum. temer. impia. p. 79.

Thenet ait Dunsium natione Scotum. imposturа. p. 90.

Scotus præclara sui ordinis ingenia perdidit. iniur. temer. *p.* 138.

Dogmata Christiana, exponit esse opiniones probabiles sum. temer. *p.* 135.

Fides sacrarum rerum exponitur fides humana temer. *p.* 136.

Contradicere D. Thomæ crimen est. temer. p. 144.

Scotus manifesti criminis pœnas luit morte & c. iniur, imp. *p.* 142.

Ioannes 22. *serio cogitauit de extinguendo ordine Minorum. impost.* *p.* 149.

Scotus tenet homines resurrecturos in sexu virili, falsum. *p.* 170.

Gerson per Ioannem de Theophanes intelligit Scotum. impost. *p.* 167.

Scotus viuus sepultus est. fal. *p.* 181.

Interpreti Scoti est frons ferrea conuit. *p.* 202.

Toßinianus ait Scotum viuum tumulatum falsum. *p.* 107.

Beat. moricum fuisse tertium socium. S. *Francisci falsum.* *p.* 211.

Ioann. 22. *Secutus est fratres Minores in errore de visione beata differenda impost.* *p.* 212.

Baleus ait d. subtilem naiione Scotum. impost. *p.* 245.

Occam Philosophiæ, & Theologiæ deprauator, & heresiarca. calum. *p.* 246.

Molina censurat Scotum. impostura *p.* 149.

Apologia pro Scoto est libellus famosus. iniur. *p.* 276.

ERRATA.

P. 5. l. parte aduersa. ibid. l. afflictis. p. 6. l. effectum esse. ibid l. Lyrenses. p. 7. adde rectū iuditiū. p. 16. l. chronologia p. 17. l. indicat. p. 21. l. iniuriosum esse. p. 22. l. contra re-p. 23. l. præceps p. 25. pro omnes l. animos. p. 29 l intentio. ne. ibid. l. coniunctos. p. 43. grauissimis, adde pœnis. p. 47. l. Esingren. p. 52. l. conglobauerat. ibid. l. eas publicant. p. 55. l. posset. p. 64. l. puto. p 66. l. anno 1619. bid. l. dixit. p. 72. l. inextricabilis. p. 84 l. panegyrico. p. 86 l. dicatur. ibid. l. vico pro voco. p. 87. l. Orosius p. 89. l. Ecclesiastica p. 90 l. vna, loco, sanctissima. p. 95. fructuum. p. 100. l. ortus. p. 109. l. fideli. p. 112. l. studentium. ib. l. floruisse. ib. l. solitos fuisse p. 140 l. centena. p. 145. l. credidit. p. 149. l. adduci post ly minores. p. 150. l. perlustra. p. 179. l. disputanti. p. 184. l. iacet pro icet. p. 188. & seq. l. Latomus. p. 121. l. sui. p. 259. l. adiutum. p. 260 l. mugitum. p 261 l. lecturus es. p 234. l. docuit. pp. 266. l. index p. 274. l. præuaricatus es loco præuaricasti. p. 279. l. calumniandi pro conciliandi. ib. l. consilium. p. 122. l. excitare bilem. p. 197. l. fratrem pro frater p. 111. l. Ægyptijs monachis. p. 79. l. Christiane. p. 43. l. Volateranum. p. 14. l. sancti Thomæ, p. 168. l. sancto Bon. p. 34. l. serius. p. 282. l. situm est.

IHS